



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

NYPL RESEARCH LIBRARIES



3 3433 06662097 6

(Apor)
FP

20. sz.

267747

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA


TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.


MÁSODIK OSZTÁLY : ÍRÓK.

II
TIZENEGYEDIK KÖTET.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.





MONUMENTA
HUNGARIAE HISTORICA.

SCRIPTORES.

XI

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

K I A D J A

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA
TÖRTÉNELMI BIZOTTMÁNYA.

MÁSODIK OSZTÁLY : ÍRÓK.

XXIV. V. 34
TIZENEGYEDIK KÖTET.
V. 34. 34.

PEST, 1863.

EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVÁRUSNÁL.


ALTORJAI
B. A P O R P É T E R
MUNKÁI.

K Ö Z L I

KAZINCZY GÁBOR. *oe*

NEW YORK
PUBLIC
LIBRARY

PEST, 1863.
EGGENBERGER FERDINÁND M. AKAD. KÖNYVTÁRSNÁL.



NYOY V3B
3.1807
V3A88U

Pest 1898. Emich Gusztáv Magyar Akadémiai könyvnyomdásnál.

ELŐSZÓ.

„Chara posteritas, propriis manibus hanc Admonitionem scripsi, ut eo magis observes. Ex lectione libri huius poteris advertere, quod pluribus annis laboraverim, multa, tam manuscripta, quam historicos legerim, multum mentem meam terse- rim, quousque veritatem rerum invenerim. Recogita ergo, quod vix aliquis dabitur, qui haec scripta in hunc ordinem redigere poterit; familiam tuam vides opere et veritate descriptam, vide- bis multas familias adjectas, casus mutationesque Transylvaniae aetate mea leges: praecipio ergo sub anathemate, nulli extra- dare hunc librum, sed posteritas sibi servet, et si aliquando fors inciperet scriptura deficere, de novo parari sibi curet; in paribus tamen, si quis desideraverit, concedere poterit, aut co- ram legere. Ita praecipio scriptor hujus et parens posteritatis. Al-Torjæ 20-a Januarii 1732. *B. Petrus Apor.*“

Optimæ gubernationis imperii et reipublicae ideam ex- pressit Marcus Aurelius Severus Imperator, dum:

Tyrannos et crudeles in altum non evehebat,
Jus pauperi, quia pauperi, non donegebat,
Recti amantem pauperem non fastidiebat,
Reo diviti, quia diviti, veniam non dabat,
Nullum malum impunitum abire dissimulabat,
Causas apertas ad alterum non remittebat,
Obscuriorum solus esse arbiter non volebat,
Commotus ira neminem damnabat,
Nec inter gaudia dona promittebat,
Non fuit incurius in rebus prosperis,
Nec abjectioris animi in rebus adversis,
Nil fecit mali maligniori mente,

Nec illiberarior fuit ex avaro pectore,
 Non est passus fores patere adulatoribus,
 Nec aures praebere calumniatoribus,
 Studuit semper esse amabilis bonis,
 Odiosum non recusabat esse malis,
 Adjuvabat causas pauperiorum contra potentes,
 Nec sinebat ab his opprimi impotentes aut minus potentes.

Selecta axiomata.

Laudet te os alienum, et non os tuum, extraneus et non labia tua.

Spes fortunam sequitur et quaerit.

Fortuna spem fugit et illi se occultat.

Honos non implet animum, sed inflat.

Optime facit fortuna quod non semper sit in eodem loco.

Peregrina est fortuna, ideo de loco uno ad alium transire debet.

Nullae inimicitiae perniciosiores, quam ubi ex amicis hostes fiunt.

Si ad naturam vives, nunquam eris pauper, si ad opinionem, nunquam eris dives.

Honor eos decet, qui honores spernant, non qui eos cupiunt.

Nulla tam modesta est felicitas, quae malignantis invidiae dentes vitare possit.

Magna virtus est fortunam fugere, major eidem resistere, maxima eandem contemnere.

Dat Deus qui vult, et quando vult.

Quo quis minus aestimat se dignum honore, eo majore dignus est.

Majus dedecus est, paria amittere, quam omnino non parasse.

Honor, fama, existimatio non sunt nostra, sed ab aliorum arbitrio dependent.

Calamitosus est qui timet, infortunatus qui sperat.

Nemo simul jucunde vivere potest, nisi simul honeste vivat. —

Ezeket írá Altorjai báró Apor Péter azon kötet elejére, melybe két latin munkáját másoltatá; a harmadikat, a magyart, mely az Upor ivadéka nevét fenn fogja tartani, nem hitte méltónak, hogy ama „családi hagyományához“ sorolja.

A maradék nem úgy ítélte. Apor történeti munkái elpendültek; a *Metamorphosis* a szó teljes értelmében *köz kincs* lőn. Méltán. Nyomorú viszonyaink tehetik csak érthetővé, hogy mindeddig nem a saját útján.

A hazai történelem mély ismerete s az a nemes közlékenység, mely mind azt a mit bír, *köz tulajdonúl* tekinti, s mit a Királyhágón *innen* csak kivételesen találunk — erdélyi barátaim szívességéből Aporra nézve is egy csomó becses adatot juttata kezemhez, az író hibás tételeinek helyreigazítása végett. Föl lesznek használva, de nem *itt*. Itt hadd álljon az író a maga valóságában. Ő nem a köz bírálat, hanem családá számára írt; ne bolygassuk sírját azért, hogy nevét tapossuk.

Apor barátja volt a tudományoknak s a tudomány embereinek: mutatja az a jellemző levelezés is, mit életében még Timon bocsáta közre (*Antiqua et Nova Hung.* 218 t.); de, valamint a köz életben, tele a *gyöngye* ember gyarlóságai- s tévedéseivel. Loyális, vallásos, hiszékeny, mind ez mértéken túl; vall, tesz és állít dolgokat, mikor legalább álmélkodni fognánk, ha az író naiv *összintésége* hagyná. Így nem haragszunk, nem kárhoztatjuk: megmosolyogjuk. Megismertet gyöngéivel ömaga, s elnézzük. Nem akarja palástolni, elhazudni őket: elénk tár mindent becsületes egyenességgel, ahogy ő maga tudja vagy hiszi.

De az a ki megtudja a mit kell választani : sok becses adatot talál e téves felfogások s hibás combi-
nációk szövedéke mögött. Az egyoldalúság szempontja
sem teszi megláthatlanná az igazságot. Aztán e tá-
tongó mélység két világ között, e világforradalom,
mely az őselet rengetegeit kalangyákba törte, hogy
majd, köszönül, legyen mi mellett fűtözhelessék a di-
dergő utód — szóval: az áthidazó korszak az ó és új
állami élet között, melyben Apor élt, s mely hazánk-
ban még egy Tacitust vár, mély fájdalomával és gyil-
kos ecsetével — sáppadt lenyomásként tűkrözdök azon
elbénült téveteg világban, mit Apor, hasonló színek-
kel, egyes eseményekre tördelve, vázol.

Apor munkáit, az eredetiek holléttéről tudomá-
som nem lévén, egy halmaz hibás és csonka másolat-
ból akarám összeállítani, hónapokon át gyötrődve s
gyötörve, segélyül, barátaimat : midőn nmélt. gr.
Mikó Imre úr baráti szívessége a főlebb említett (a
szerző által hitelesített) másolattal meglepett. Az egyet-
len teljes példány ez, mert 1732-ön túl is, mind vé-
gig, folytatva s toldogatva, különböző, s néha vajmi
gyarló kezek által. Tekintsen meg bármely egyéb
másolatot az olvasó — a Nemzeti Muzeumé teljesen
használatlan. ~~lenni fogja; hogy~~ történelmi irodal-
munk e gazdagítását azon férfinak köszönjük, ki,
az egykori közélet központi gondjai között is, nem
lankadó híve volt. ~~mind annak, a mi a haza ügyére~~
vonatkozik.

A *Metamorphosist* csak idegen, régibb és újabb
másolatok egybevetése után adhatám. Az a függé-
lék, mely *Cserei Mihály* töredékes megjegyzéseit adja
(444—484 l.) rendesen az Apor neve alatt kering,

élén az Apor bevezető szakaszával, ámbár szerzőjüket a szöveg is elég világosan mutatja. Csereiről azt mondja, 303 l. Apor : in plurimis me juvit in catalogo nostro tempore deficientium ; eme jegyzéseit a Metamorphosis első dolgozására tette, s a szerző felhasználta; de a mit Cserei zsémbes öszintesége kimond, enyhítve s itt-ott elhallgatva. Hogy az olvasó lássa, miként : tevém a szakaszok elé a megfelelő lapszámokat.

A XVIII század első felének sivár irodalmitörténetét egy jelentős névvel gazdagítja e kiadás.

Bánfalva, Augustus 31. 1863.

K. G.

SAJTÓHIBÁK.

112. lap 10. sor alulról így olvasandó : quas ego (quos tamen historicos inveni) omnes perlegi. 318. alsó sor : hanem a mellette. *olv.* hanem az maga mellett. — A 21—3 ív számos hibái között jelentékenyebbek : 320. lap, 2. sor felülről : többin. *k olv.* az többinek. 321. l. 15. s. alulról : Kacsulata *olv.* Kucsuláta. 323. 14. s. Urnak *olv.* Urának. 327. 2. s. a. az is *olv.* azt is. A 330—1, 336—9. lapokon a § jegyek megelőzendők. 330, 2. s. ételt *olv.* étket. 331, 8. s. a. Annyi leány. *olv.* még annyi leány. 332, 5. s. a. adták etc. 337, 10. s. a. In 1690 die anno 15. a Apr. *olv.* in anno 1690, die 15. a Apr. U. o. 3. s. a. intéseivel *olv.* intésivel. 339, 2. s. a. jeles *olv.* feles. 341, 2. s. Erdélynek *olv.* Erdélyiek. u. o. 10. sor. fejün nyakszirtin *olv.* fejün az nyakszirtön. 342, 2. sor : *selyemből szőtt* után kimaradt : némelyeknek az közepin ezüst fonalból varrott vagy szőtt. 344, 12. s. gömbölyesen *olv.* gömbölyegen. 347, 14. s. az sastollas *olv.* az sok sastollas. 348, 6. s. a. melyeken *olv.* melyen. 349, 12. s. régi *olv.* végi. 350, 6. s. mondtak neki *olv.* mondtának neki. u. o. 6. sor alulról : melye felől *olv.* melye felé. u. o. 13. sor : övig *olv.* öviig. 351. 8. s. a. többnyire *olv.* többire. u. o. 12. s. a. bagariával *olv.* bagaziával. 353, 13. s. a. ott belől nadrágon *olv.* ott belől az nadrágon. u. o. 12. s. rakva *olv.* varrva. 356, 4. s. paraszt *olv.* parasztember. 359, 12. s. a. tudva *olv.* tudván. u. o. 9. s. vízben *olv.* az vízben. 360, 14. s. fejedelemnek *beadott* olyan supplicatio.

Hibák a szerző sajátosságai, kiejtése, nyelvszokása stb. ellen : 324, 8. s. leányokat, asszonyokat, 325, 11. s. ajkokot, 332. 4. s. állókat. 341, 13. s. bizonyoson. 348, 4. s. szerszámokat. 350, 7. s. mindnyájon. 353, 4. s. inokat. 355, 12. s. magokat. 357, 11. s. azokat, 359, 17. s. magokat. — 338, 2. jóvallották, jóvallásán. — 348, 14. sor, 349, 12, 14, 360, 11. aranyas. — 358, 10. s. feltamálja. 359, 9. s. mű. — S végül : az helyett sok helyt a, s röviden mit a szerző megnyitva használ, péld. beadják, elvészem stb.

TARTALOM.

| | |
|---|---------|
| Lusus mundi | 1—115 |
| Synopsis mutationum | 117—312 |
| Metamorphosis Transylvaniae | 313—443 |
| Cserei Mihály pótlékjegyzetei | 444—484 |

I.

L U S U S M U N D I

ET EJUSDEM ACTUS SCENICUS, PROUT IN HUMILLIMA FAMILIA
APORIANA, AB EXITU QUIDEM EX SCYTHIA NON INTERRUPTA
SERIE VERE NOBILIS, SIC IN RELIQUIS EIDEM SANGUINE JUNCTIS
INCL. FAMILIIS, OPERA ET VERITATE PETRI APOR, L.
BAR. DE ALTORJA, AA. LL. ET PHIL. MAG. INCL. COM. DE KÜ-
KELLŐ COMITIS SUPR. EMERITI, NECNON INCL. SEDIUM SICULICA-
LIUM SEPSI, KEZDI, ET ORBAJ UT ET MIKLÓSVÁR SUPR. JUDICIS
REGII ACTUALIS, IN LUCEM PUBLICAM REPRAESENTATUS, AD
GRATAM POSTERORUM MEMORIAM ANNO 1727.

IN ZOILUM.

Invida mens verum depingit imagine falsi,
Falsus is est, album qui probat esse nigrum.
Fur famelle, tuum est alienam rodere famam,
Horto de proprio collige poma tuo.
Sed sine mordebis fors hunc ratione laborem :
Tunc quae te genuit psittaca lingua fuit.
Huc vexabis opus, nonne est tua curta supellex ?
Gallina ova parit garrula pauca nimis.
Mendacem reperisse stylum jactabis et ibis ;
Ibis, sed vitulo qua nova porta patet.
Excipies vario risu explodesque cachinnis,
Tunc sapiens dicet : tangis, aselle, lyram.

Interroga enim generationem pristinam, et diligenter investiga
patrum memoriam.

Hesterni quippe sumus et ignoramus, quoniam sicut umbra
dies nostri sunt super terram. Job, c. 8. v. 8. 9.

Gloria filiorum, patres eorum. Prov. c. 17. v. 6.

Nobilitas morum magis ornat quam genitorum.

Cyprianus Soarius, Soc. Jesu, in Rhetorica : Duplex est genus
hominum ; aliud civile, quod honestatem utilitati, agreste aliud,
quod utilitatem honestati praefert.

Seneca : Crudelius nihil est facto non nato nobile.

Sapientes confitentur et non abscondunt patres suos. Job,
c. 15. v. 18.

Curam habe de bono nomine ; hoc enim magis permanebit
tibi, quam mille thesauri pretiosi et magni.

Bonae vitae numerus dierum ; bonum autem nomen perma-
nebit in aevum. Eccles. c. 41. v. 15, 16.

Seneca : Sola atque unica virtus propria nobilitas est.

Valer. Lib. II. Optimus quisque nobilissimus est.

Claudian : Partitim singula quemque

Nobilitant : hunc forma decens, hunc robur in armis,

Hunc vigor, hunc pietas, illum solertia juris,

Castitasque thori.

Nam ut Propertius ait :

Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta.

Tacitus, Lib. VI. Annal. : Tiberius hoc servabat, ut man-
daret honores, nobilitatem majorum, claritudinem militiae, illustres
domi artes spectandi, ut satis constaret, non alios potiores fuisse.

Seneca : Habet hoc optimum generosus animus, quod concitatur ad honesta : neminem excelsi ingenii virum humilia delectant et sordida.

Cicero : Historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriae, magistra vitae, nuncia vetustatis.

Lycurgus igitur et nos cives, inquit, nihil generositas, quae vulgo est admirationi, et ab Hercule ductum genus juvat, nisi ea faciamus, per quae ille hominum clarissimus fortissimusque est visus, per totam vitam honesta discentes et exercentes.

Noli per superbiam negare progeniem, quamvis egena sit et tu locuples, cum ipse conditor plasmarit utrumque.

Quorum gloriam miraris, eorum res gestas imitare.

Optime consultant, qui rerum futurarum exempla ex praeteritis sumunt.

Carolus Magnus imperator nihili faciebat nobilitatem, quae propriis virtutibus destituta, solo majorum sanguine superbiret. Ideoque scholas adiens, cum intellexisset plebeios discendi alacritate nobilibus longe antea, et hos et illos ad se evocans, plebeos ad dextram, nobiles ad sinistram stare jubet, hisque ignaviam vehementer exprobrat, illis vero impense dilaudatis, suos in posterum fauores ampliusque dignitatum gradus pollicetur.

Diogenes interrogatus, quinam mortalium omnium essent nobilissimi? qui divitias, inquit, gloriam, voluptatem, vitam contemnunt, contraria vero, hoc est paupertatem, ignominiam, laborem, mortem praeclare sustinent ac vincunt.

Redux Tyrnavia ex Hungaria anno 1696, ubi studia mea juridica et philosophica absolveram, magnum illum patriae patrem, ecclesiae romano-catholicae per Daciam columnam, Stephanum Apor, cui in discessu meo ante triennium Spectabili valedixeram, Illustrissimum Comitem salutare mihi gaudio erat; discedens eundem venerabar ut Supr. Judicem Reg. Sedium sicculicalium Csik utriusque Gyergyó et Kászón, et incl. Tabulae Judiciariae Reg. assessorem, necnon universarum tricesimarum dacicarum Arendatorem supremum: ast redux colui ut exc. Regii Gubernii Consiliarium intimum, thesaurarium regium, dictarum incl. sedium una cum fato officio et supr. Capitaneum; et vix patriam meam videre potui, accessit eidem et officium supr. Comitis Cottus Thordensis; sed nec hic stetit clementia augustissimae domus Austriacae, verum et totius Transylvaniae Generalem intueri eundem mihi licuit, haeculantibus ejusdem meritis. Tantis ergo honoribus cumulatun desideratissimun meum patrulem considerans, et humillimae familiae Aporianae, et sorti meae gratulari jure merito poteram: sed ut ait poeta:

Invidus invidia corrumpitur intus et extra,
et iterum:

Invidus alterius rebus marcescit opimis,
sola miseria caret invidia: invidi, in tanto honoris fastigio videntes dictum illustrissimun meum pa-

truelem, non virtutem, quae illum evexit, carpere. verum humillimam hanc familiam mille conviciis et mendaciis proscindere non erubescabant. Saepe eundem monui, ut ex archivis aliisque instrumentis publicis litteralia instrumenta conquirenda curaret: verum saepe conquerebatur, litteralia instrumenta humillimae hujus familiae universa, eaque antiquissima, quae solus vidisset, per fratrem suum germanum, Lazarum, patruelem aequae meum, Constantinopoli deperdita fuisse. Egit tamen, et paucula quidem ex Archivo Capitulari Carolinensi exceperat, verum ut ulterius procedere posset, et patriae motus, et mors ipsius inopinata inturbavit. Saepe tamen me in vivis admonuit, ideo me non ut patruelem, sed ut filium servasse, ut successu temporis huic humillimae familiae inservirem. Egi ego et ante et post mortem ipsius, et hinc inde, ut potui, humillimae hujus familiae instrumenta conquisivi atque notavi: quae posteritati meae absque invidia tertii transscribo. Nam de omnibus inclytis familiis honorifice loqui, nec ullam ad injuriam provocare intendo; sed nec alia mihi mens est, nisi ut humillimam hanc familiam ab exitu ex Scythia nobilem fuisse probem. Dabunt itaque veniam omnes inclytae familiae dacicae, si sine ulla injuria illarum, antiquitatem hujus humillimae familiae demonstravero. Si vero absque ulla ratione quis hoc opus meum vellicare praesumserit, respondeo ipsi cum poeta:

Invide livor, abi, non haec tibi scripsimus. Audin?

Rodere vel noli nostra, vel ede tua.

Scio recte illud Ovidii:

Et genus et proavos et quae non fecimus ipsi,

Vix ea nostra reor.

Quod ipsum, dum adhuc poeta pro exercitio dedu-

cendo pro themate datum excepissem, recordor poema meum sic conclusisse:

Is proprio de sole micat, quem dives amoenos
Circum deduxit juvenem facundia campos,
Quemque dein sapiente jubet pallescere charta.

Ex quibus concludo: majorum acta non secus nostra fore, nisi nos ipsi nostra faciamus.

Nemo vero dubitare poterit de antiquitate hujus humillimae familiae, si literas ex Capitulo Carolinensi authentice exceptas et hic subjectas legerit. Videbit jam ante annum Christi 1311 comitis titulo insignitam; sed ut ab exitu plane de Scythia ad hunc usque praesentem annum quo haec scribo, scilicet annum Christi 1727, quilibet videat non solum simplicem nobilem, ast vere nobilem fuisse: paucula ex lectis et per me visis subjjicio.

Non nego a majoribus meis plurima, tam de antiquitate, quam officiis et possessionibus hujus humillimae familiae me audivisse, sed quia propria laus sordet, consulte ea praetermitto; ea solum refero, quae ex libris, ex archivis et litteris comprobare valeo. Et primo quidem in anno 1700 spect. Dnus Georgius Lázár de Gyalakuta, ex antiquissima familia Lazariorum, nuper incl. sedis Maros supr. Judex Reg. produxerat antiquissimum librum (fuerat Chronicon Thurocii gothicis characteribus impressum) pie defuncto patrueli meo, Comiti Stephano Apor, qui ob vetustatem et initio et fine carebat, in quo acta et nomina eorum heroum describebantur tam ad Constantinopolim, quam cum rege Andrea II ad Damiatam et Babyloniam Aegypti, qui eundem sequebantur, gloriosusque eorundem cum eodem rege reditus, inter quos heroes et Oporii describebantur, locum tamen dubitandi, an Oporiorum familia

eadem fuerit moderna cum familia humillima Aporiana, subministrabat, cum non describebat locum certum et possessiones eorundem. Verum postquam ex archivo Capituli ecclesiae Carolinensis excepissem litteras hujus humillimae familiae Aporianae, ut liquet ex litteris subjectis ad annum 1311 et ad annum 1324: amplius dubitare non potui, praecipue cum et gloriosae memoriae imperatoris Sigismundi confirmatorias ad annum 1402 (quae, proh dolor, in incendio meo Galacziensi, cum reliquis facultatibus meis, combustae sunt) super arce Bálványos, Oporiorum olim, nunc Apriorum, acquissivissem, et legissem Opourium eandem fundasse, Oporios auxisse, et hodie Aporios possidere. Cum ergo eadem jura possessionaria, eadem insignia habeamus quae Opourii vel Oporii olim, aut quis Opouriorum vel Oporiorum familiam defecisse et eorum bona per Aporios nova donatione impetrasse probet, debet fateri, Apriorum hodiernam familiam eandem esse, quae quondam fuit Opouriorum vel Oporiorum. Neque litterae O et A substantiam rei mutare possunt, ut ex multis, illisque clarissimis Hungariae familiis demonstrare possem. Accipio tantum duas hodie in Transylvania clarissimas et illustrissimas. Nonne antiquissima familia Vesselényiana antiquitus scribebatur de Vessen? Nonne illustrissima familia a duce Szabolcs descendens Csákiana quondam scribebatur de Csák? Cum vero hodiernae hae illustrissimae familiae habeant easdem possessiones, eadem jura, eadem insignia, quae antiquitus illis nominibus compellatae, quod addantur in illustrissima familia Vesselényiana aliquot syllabae, et in illustrissima familia Csákiana addatur littera I, et non de Csák, sed de Keresztzeg hodie intitule-

tur, quis negat ambas illas familias illustrissimas a dictis praedecessoribus legitime descendere? Possem et plures adducere, sed consulto praetermitto. Idem ergo esto iudicium et de humillima familia Aporiana. Jam ergo authentice comprobando hodiernam humillimam familiam Aporianam eandem esse ac Oporianam: qui fuerint Oporii, si adhuc exstat liber dictus apud haeredes Lazarios, poterit quis videre. Sed et apud omnes veteres Hungariae scriptores Oporios fuisse palatinos apostolici regni Hungariae lege ad annum Christi 1300, sub Andrea III. rege Hungariae in catalogo palatinorum, et leges Oporium palatinum vajvodasque Transylvaniae; lege ad annum circiter 1308 in catalogo vajvodarum Transylvaniae, et leges Ladislaum Oporium vajvodam, qui excussit coronam e capite Ottonis Bavari, et restituit ad coronationem Caroli I. Sed et hujus Caroli I donationem inspicie in *Dok Kaszon* ad annum 1324, nam exposit circa annum 1479 inceperunt Oporii vocari Aporii, ut ex subjectis ad praefatum annum patet. Ladislai vero vajvodae huius filius erat Stephanus, qui in vajvodatu successit — Stephanus hic a Ludovico rege exercitui ungarico in Neapoli praefectus erat — alter vero filius ejusdem Ladislai vajvodae Andreas, qui relicto fratre in Neapoli a rege, fratri in vajvodatu successerat; hic ab eodem rege praefectus erat exercitui contra tartaros, qui siculos infestabant. Germanus vero frater dicti Ladislai vajvodae, Comes Joannes Opor, cuius filius Stephanus, huius Petrus, qui cum Nicolao vajvoda et pro-vajvoda contra Lajcum valachicum regulum sub dicto gloriosissimo rege in bello valachico gloriose occubuit. Filius huius Alexander; Alexander habuit tres filios, in arce Bálványos habitantes, qui

amore capti cuiusdam magnatis, Mike nomine, filiae (de familia Mike lege P. Sam. Timon Soc. Jesu ad annum 1200, et catalogum palatinorum), pro legitimo matrimonio expetebant, sed cum petulantioris genii fuerint, dum parentes uni eorundem tradere nuptui noluissent, tunc Torja oppidum existens (cuius privilegium etiam jure patriae confirmatum fuit Appr. Const. part. III. tit. 78. art. 1), tempore publicarum nundinarum ex foro rapiunt, sed infelicitur; nam primus statim occiditur, secundus usque ad templum Fel-Torjense persequitur, et ibi perimitur, tertius, Stephanus nomine, virginem secum in arcem ducit, et, nolentibus etiam parentibus, matrimonio jungit. Hanc nonnisi unicam filiam genuisse invenio, nomine Helenam, cognominatam Aporfii, claudam, sed cum patrimoniis abundasset, a plurimis matrimonio expetitam, ut tamen clare constat ex contractualibus inter familiam Aporianam et Henterianam, ut inferius patebit.

Dum cum Ludovico rege Oporii, ut supra notatum est, in Italia bellassent, quidam ibi stationem fixerunt, ut multi fide digni Italiam peragrantes mihi retulerunt, in Italia et hodie Oporianam et Aporianam familiam ungarico nomine gloriantem exstare; quare ex eadem ipsa familia quidam ex Italia, ut antiquae nos'rae litterae testantur, et a proxime dicendis confirmabitur, ne patrimonium antiquum Oporianum ad alienigenas deveniret, quidam Mathaeus Burczia Apor, ex Italia descendens, claudam superius dictam Helenam legitimo matrimonio jungit; quae tres proles genuit: Stephanum, Lucam, et Barbaram. Haec Barbara omnino sine semine defecit; per huius defectum, jure sangvinitatis, viva superstitem memoria, peril-

lustris Dnus Michael Henter de Sepsi Sz.-Ivány certa bona jure acquisivit. Scriptum est Mathaeum Burczia alias Apor duos habuisse filios, Stephanum et Lucam; Stephanus quidem fratri suo minori Lucae divisionem ex bonis paternis noluit concedere, tandem vero inter ipsos contractualiter conventum fuit. Dum rursum filius Lucae, Mathaeus, in anno 1550 ab Aporiis divisionem petiisset, tunc ab Aporiis tale responsum obtinuerat, quod sint parati, quoniam Mathaei parens Lucas, et Stephanus Apor erant uterini fratres, et Lucas primo incepit nominari Burcsa, dum ad habitandum descendit in Sepsi Sz.-Ivány. Ego putem, a populo fuit nominatus, corrumpendo Burczia Apor in Burcsa, nam in prioribus litteris hunc Lucam et Kis-Henter nuncupatum video, dum Stephanus Apór eidem ex bonis Aporianis divisionem noluit concedere; convenerunt tamen, ut bona in Sede Sepsi existentia concesserit fratri Mathaeo, ea conditione, ut in virili sexu deficiente familia Henteriana sive Burcsaiana, eadem bona redeant ad familiam Aporianam, prout nuper, dum Dna Clara Henter, consors Spect. Dni Samueli Torma de Csicsó-Keresztúr, et Christina Henter, Spect. Dni Clementis Béldi de Uzon, divisionem voluissent celebrare cum suis fratribus uterinis, non aliter se defendere poterant, nisi in facie incl. Sedis Sepsi authentice has contractuales produxissem, contradixissemque divisioni. Hinc patet familiam Henterianam et Aporianam eandem esse. Stephani hujus filius, iterum Stephanus, fundator templi Felső-Torjensis, et Ladislaus, vice castellanus arcis Viennensis (Confer certa ex parte Bonfin. Dec. 2. Libr. 10. et Istvánfi Lib. I. Cap. 1. §. 5. cum litteris ex Capitulo exceptis annis 1311, 1324, 1479, 1521,

1584., et sic invenies). Ladislai filius rursum Alexander, Alexandri Michael, Michaelis Andreas, Andreae Lazarus, Lazari Joannes, Joannis Baro Petrus, Baronis Petri Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, legitimi haeredes arcis Bálványos (pono expresse arcis Bálványos, nam recordor a senibus me audivisse saepe, quod audiverint a majoribus suis, se vidisse titulum dicti Ladislai vajvodae ad frontispicium palatii arcis Bálványos); fratres vero Joannis, genitoris Baronis Petri Apor, videbis inferius. Sed nec obstat sículos aequali omnes privilegio et libertate fuisse usos, et quod nec patiantur inter se libertate esse superiorem, et quod eandem minimus habeat immunitatem, quam maximus, prout cum Olaho omnes annales quos legi conveniunt, sed et his temporum injuriis, quamvis servare non possimus, semper tamen hanc libertatem jactamus. Speciali tamen aliqua libertate Oporios vel Aporios fuisse gavisos, exinde colligere est, quod arx Bálványos cum pagis Alsó- et Felső-Volál, Karatna et Peselnek, Szárazpatak et Kanta, antiquis et haereditariis possessionibus Oporiorum in medio sículorum, in Comitatu Albensi posita sit, prout etiam in annexis ex Capitulo exceptis Torjam inCottu Albensi positam invenies, et hoc ideo fuisse puto, ut ad arcem subditos, vel ut vocant jobbagyones, habere possint, salva permanente libertate siculica. Certum enim et indubitatum est, ex omnibus annalibus constat, inter sículos nullum fuisse jobbagyonem vel subditum, sed injuria temporum sic primo aliquos redactos in statum colonicalem (prout multorum regum et principum mandata meis oculis legi): Cum gloriosissimi reges et principes frequentia habuissent bella, mandatum ad sículos tale dabatur:

Quicumque non insurrexerint ad praesens bellum, privilegium amittent et in statum colonicalem redigentur. Tales ergo, qui ad bellum non proficiscebantur, aliis bene meritis pro jobbagyonibus sive subditis dabantur; prout aliquot donationes tales vidi. Et sic primo jobbagyonum inter sículos initium factum est.

Praeterea et reliquis summisque officiis functos Oporios historiae docent, et si quis perspicaci oculo invidiaque seposita genealogiam Opouriorum vel Oporiorum ex antiquis Hungariae monumentis legerit, inveniet eos recta linea descendere ab Árpád, filio Almi ducis de sanguine Atilae, ut bene advertit Perillustris Dnus Stephanus Gyöngyösi, quondam vicecomes inclyti Comitatus Gömöriensis, in opusculo anni 1693 Leuchoviae impresso, in praefatione, in quo connubium celsissimi quondam Transylvaniae principis Joannis Kemény cum celsissima principissa Anna Lónyai rythmice describit.

Sed hic quis objicere posset, praeclarum hunc virum solum adulatum fuisse defuncto patrueli meo, Comiti Stephano Apor, cum annales hungarici dictent, quod Árpádi filius fuerit Zoltán, Zoltáni Toxus, Toxi Gejza, Gejzae sanctus rex Stephanus, et quae objectio si in vivis eidem objecta fuisset, credo, emeritus senex me doctius scivisset respondere. Nihilominus, in quantum ex conjecturis eruere possum (ita enim steriles sunt scriptores hungarici, qui genealogias solum gloriosissimorum regum referunt, et nomina solum eorum procerum, qui vel gloriose vel vero fataliter se sub iisdem gesserunt, et nonnisi aliquarum illustrissimarum familiarum truncum apponunt, sed eo sterilius de familiis transylvanicis loquuntur, ita, ut quasi sit impossibilis etiam praecipuarum familiarum deductio ex

annalibus hungaricis per successiva tempora et secula, nisi privata litteralia instrumenta habeant), praefatum emeritum et bono senio confectum virum sic salvo : Non constat Árpádum unicum solum filium Zoltánum habuisse; quod vero hunc solum historici apponant, factum est ob solam genealogiam gloriosissimorum Hungariae regum, sed ex hoc non licet argumentari, quod tam Árpád, quam reliqui sex duces Hungarorum, solum illos filios habuerint, quos historici nominant, et non plures; veritati ergo magis conforme est, ducem Opourium secundo genitum Árpádi filium fuisse, sub cuius auspiciis hungari bellum adversus graecos gerebant, nam ad talem expeditionem primi ducis filium delegare et honestum, et rationi consonum est. De huius ducis imperio Bothundus ad Constantinopolim giganteae molis graecum in singulari certamine occidit, de quo et Bonfinius Dec. I. Libr. 10, et superius dictus liber apud haeredes Lazarianos. Si ergo contuleris litteras exceptas ex Capitulo, et legeris Opour: concordare cum huius ducis nomine, non inficiaberis; nam et Opor et Opour nostrum fuit cognomen, quin imo in charta antiqua, sed non authentica, video nobis aliquando et cognomen Opar tribuisse, sed hoc solum per errorem fuisse putem, cum combinare non possim cum Opariis in historicis hungaricis relatis. Et sic supposito Opourium ducem secundo genitum fuisse Árpádi, facile etiam hodiernam humillimam familiam Aporianam ab Árpád descendere concludes sic: Opour aedificavit arcem Bálványos, restauravit Opor, hodie, nulla superveniente nova donatione, possident Apor, ergo Opour, Opor et Apor sunt eadem cognomina: adeoque et eadem familia est.

Sed haec hucusque de identitate familiae Aporianae, Opourianae et Oporianae opere et veritate dicta sufficiant.

Sed quod ab anno 1311, usque ad annum 1521 et ad annum 1584 semper haec humillima familia vere nobilis fuerit, subjectae litterae ex Capitulo excerptae de seculo ad seculum sub gloriosissimis regibus Hungariae clare ostendunt. Sed et tunc, et nunc et semper nobilem fuisse, solus lector fateberis, si recto corde exigua haec scripta legeris. Neque putes, dum aliquando in annexis legeris quendam Aporium de Sz. Márton titulari, alim a nobis fuisse Aporium, nam antiquitus non solum Felső- et Alsó-Torja vocabantur exiguae possessiones Apriorum: sed All-Torja etiam vocabatur Sz. Miklós-Torja, ut leges in annexis ad annum 1479, Felső-Torja vero etiam Sz. Márton-Torja, a dedicationibus scilicet ecclesiarum, prout ex scriptura supra sacristiam insculpta lapidi templi Felső-Torjensis videre quis poterit, hoc modo: Anno 1516. In honorem Sancti Martini episcopi erexit Stephanus Apor. Vel tunc vere nobilis familia, quae divis templa erigebat, et vere vel inde nobilis, quod nullus ex illa haereseos labe infectus fuerit. Eréxerat haec humillima familia templum aliud supra pagum Karatna Deo Eucharistico sacrum, de quibus duobus templis inferius adhuc pauca, cum hodie sub acatholicis gemant.

Nobilis erat haec humillima familia sub gloriosissimo Hungariae Atlante Mathia Corvino, ut apparet ex Istvánio, cap. 1. § 3. ubi describit, post mortem praefati gloriosissimi regis Mathiae, adventantem augustissimum imperatorem Maximilianum ad Viennam Stephanum de Zápo-

lya non exspectavisse; quem loco sui reliquerit, ignorat quidem, in aliquibus tamen scriptis invenit eidem Ladislao Uporio nomen fuisse. Hunc vero non Uporium sed Aporium fuisse, testabatur meus desiderabilis patruelis Comes Stephanus Apor, dicens, se certo vidisse inter litteras per fratrem suum germanum Constantinopoli deperditas, authenticum testimonium, in quo scribebatur: vice castellanus arcis Viennensis Ladislaus Apor. Sed et magnus ille vir, vere apostolus Hungariae et factis et scriptis, Gabriel Hevenesi soc. Jesu, in binis litteris ad pie saepius nominatum Comitem patruelem meum scriptis (spero has litteras et hodie exstare) testabatur, se certo invenisse illum non Uporium, sed Aporium fuisse. Et nonne in suis scriptis scriptores nominum litteras saepe variant? etiam certo saepissime, ut historias legenti patet, ob non plane claram informationem. Acta huius Ladislai lector legat alibi. Quid mirum? nam sub Uladislao II. alter cognatus noster sculus Simon Nyujtodi (cujus castelli fundum hodie possideo) arcis Strigoniensi erat praefectus vice-castellanus, ut id ipsum apparet ex privilegio inclytae sedis Kászón.

Nobilis erat haec familia humillima sub Uladislao II, dum scilicet duce Georgio Siculo plebs contra nobilitatem insurrexisset regique bellum indixisset, et rursum, sicuti tumultuassent in nativitate Ludovici II, ubi seposita vita, facultatibus, ut debebat, regi suo fidelis persistebat, subque vajvoda Joanne Zápolya, inter fideles, et quidem, ut traditio certa fert, ut dux siculorum in fidelitate persistentium militabat, ut hoc clare apparet in annexis litteris ad annum 1521 et annum 1584.

Nobilis erat haec humillima familia sub Ludo-

vico II. rege Hungariae, sub quo, tempore funestae expeditionis Mohacsianae, aliquot Aporii sub vajvoda Joanne de Zápolya pro conservatione regni arma arripuerant, ducemque praefatum sequebantur. Cur autem regi periclitanti una cum armada transylvanica suppetias ferre nequiverint? quia scriptores hungarici de intentione ducis variant, et ego indecisum relinquo.

Nobilis fuit haec humillima familia, ut rursum redeam, sub Uladislao II. anno 1505 et 1506. Item sub augustissimo imperatore et rege Huugariae Ferdinando I. anno 1555, ut ex Constitutionibus Generalibus totius inclytæ nationis siculicae apparet in villa Agyagfalva, Zékely-Vásárhely et Udvarhely, prout hae fideliter conservantur in archivis incl. Sedis Udvarhely. Et non solum nobilis, sed ex primis nobilibus nationis siculicae, prout clare constat ex Constitutionibus anni fati 1506, in Villa Agyagfalva, quas incl. natio siculica sic concludit: Factae sunt hae conclusiones loco, anno, dieque supra notatis in primatu Anderae Lázár Gyergyóiensis, in praesentia primorum sedis Udvarhely: Joannis Bögözi (hic Joannes Bögözi erat Supr. Capitaneus sedis Udvarhely), Pauli Nyujtódi, Antonii Kaczai, Joannis et Petri Benedekfi, Bethlenfalviensium, et Joannis Gergelyfi. Ex sedibus Maros autem et Aranyas: Leonardi Apaffi, Michaelis Gyalakuti, Gaspari Barcsai, Nicolai Barcsai, Nicolai Thót, Francisci Alárd, Georgii Tatár, Andreae Deenes. Ex sedibus Csik et Kézdi: Blasii Lázár, Joannis Blasko, Alexandri Györfi, Emerici Becz, Joannis Czakó, Damiani Urko (Urban?), Bernardi Czirják, Antonii Kun, Stephani Apor et Ladislai Csomortányi. Ex sedibus Sēpsi et Orbai: Valen-

tini Kálnoki, Michaelis Laczok, Blasii Czirják, Petri Daczo, Michaelis Mikó, Stephani Mihályfi, Nicolai Biró. Sed praeter hos innumerabilium multitudinum populi, qui pro bono regni nostri siculici parati essent mori et etiam fidelitatem conservant erga sacram coronam.

Hic duo nota Lector: Plurimae ex his nobilibus familiis ubi sunt? Et nomina eorum sepulta sunt. Nota secundo: Svadeo omnibus dominis siculis, has tres Constitutiones legendas, in quibus et cultum apostolicae salvificaeque religionis orthodoxae romanae vixisse, et fidelitatem summam erga reges Hungariae sacramque eorum coronam servasse, nec non justitiam summe administrasse quondam siculos cum voluptate leges.

Nobilis erat haec humillima familia sub Joanne II de Zápolya, qui princeps, per Blandratam ariana peste infectus, prohibuerat per omnes ditiones suas, integros per tres annos, ne oblatio munda, alias ab ortu usque ad occasum solis offerri Altissimo solita, sub ditionibus suis offerretur. Et ut a maioribus meis, fideque dignis senioribus nobilibus quondam certo intellexi: egit Michael Apor cum conjuge sua Barbara Andrásia, ex illustrissima familia Andrásiorum, atavus et atavia mea, et in cavernis, cellariis locisque occultissimis sacrificantibus et orantibus veris illius temporis apostolis interfuit, quos auctoritate fovit, pane nutrit; vidisses in illo miserrimo statu ecclesiae romano-catholicae miseros catholicos clam illuc convolasse, cum lacrymisque panem angelorum cum voluptate intrinseca animi adorasse. Conservavit itaque zelo suo vere catholico partem illam Siculiae ab Arianismo. Sub hoc tamen Michaele ali-

quam eclipsim passa erat haec humillima familia, cum enim cum Bercsényiis et Andrásiiis fidelitatem regi Ferdinando servassent aliqui Aporii, et ex Transylvania exivissent, amissione bonorum mulcati sunt.

Nobilem fuisse hanc humillimam familiam sub principatu Stephani Báthori, ex post regis Poloniae, testabatur quaedam scriptura in quodam libro apud Illrimum quondam comitem Samuelem Kálnoki, quae sic habebat (appono, ut aperte et veritate omnia fiant, prout vidi) idiomate nativo : Itt hála Estván kerály mikor lengyel kerályságra mene, azon éjjel meghala Estván pap is, et universa ejus bona depraedata sunt per Estephanum Apor. Scilicet : hic pernoctavit (idest in Kézdi-Vásárhely) Stephanus rex, quando ad capessendam coronam regni Poloniae iret, eadem nocte etiam Stephanus sacerdos mortuus est, et universa illius bona depraedata sunt per Stephanum Apor. Haec pro intermedio, scripsitque, ut putem, homo idiota, cum hac de materia ejusdem anni litterae relatoriae apud me existentes aliud doceant. Quamvis Nicolaum Apor inter duces siculorum Békesio consensisse contra Stephanum Báthori scribit Bethlenius, Libro VI, folio 317.

Nobilis fuit haec humillima familia tempore principum Christophori et Sigismundi Báthoriorum, quorum aliquot privilegia et consensuales prae manibus meis habeo, sed et patet ex subjectis ad annum 1584, et diem penultimam Maji.

Nobilis fuit haec humillima familia sub Andrea Cardinale et principe Transylvaniae Báthori, cujus primarius aulae familiaris Stephanus Apor, cui non tantum ad mortem usque fidelis exstitit, sed et in

morte socius esse voluit, modice tamen prius, quam Cardinalis cum Mikóne interficeretur.

Nobilis fuit humillima haec familia anno 1303, dum cum potioribus Transylvaniae proceribus Joannes senior et Joannes junior, Andreas, Laurentius et Thomas Apor campos Barcenses proprio sanguine irrigarunt.

Hic jam incipit humillima haec familia plenam eclipsim pati. Nam, ut praeattactum est, amiserant quidem quidam Aporii certa sua bona ob fidelitatem regis Ferdinandi; conservaverat tamen atavus meus, Michaël Apor, arcem Bálványos in statu existentem, cum annexis pagis in Comitatu Albensi, praeterea possessiones portionarias in Alsó et Felső-Torja, Esztelnek et reliquis annexis in sede Kézdi, item possessionarias in Pálos et Petek, prout et hodie certa jugera in his ultimis pagis de nomine Apriorum nuncupantur. Verum Michael hic nactus erat filium Andream, hominem crudelissimi genii, praepotentisque irae, cui dominari non valebat, qui duxit in uxorem Barbaram Lázár, Petri Lázár de Szárhegy filiam, prius quidem conjugem Georgii Daczó de Sepsi Sz. György, ex qua 24 proles procreaverat, masculam tamen nullam post se reliquit praeter natu minorem Lazarum duodennem. Hic ergo Andreas prius in subditos suos saevire incepit, paucique crudelitatem ipsius tolerare poterant, major pars ibat qua poterat, prout litterae relatoriae illius temporis me docent. Crudelitatem tamen suam egregie solvit et nos posteri deflemus. Nam dum duo cancellistae quosdam rusticos jure patriae repeterent, ipsos baculis in tantum excepit, ut in centonibus auferrentur, hic Director Fiscalis eundem evocari curat, et certo amissurus erat et

vitam, nisi inclyta familia Lazariana, jam per uxorem juncta, gratiam eidem vitae impetrasset.

Amisit tamen tunc possessiones Petek et Pálos, amisit possessionem majorem ad arcem Bálványos pertinentem, vix arce et exiguis possessionibus in Cottu Albensi et sede Kézdi retentis. Hinc nihilo melior factus, perrexit in eadem crudelitate, et ubi jam fere omnia dilapidasset, moerore confectus periit cum Moyse Siculo ad Coronam, anno 1603 (et hic primo arx Bálványos desolari coepit, cujus tamen ruderum majori ex parte et hodie exstant), relicta post se uxore Barbara Lázár, et unico, ut supra, filiolo; quae nihil marito melior, quae adhuc exigua maritus non amiserat, mulier haec pessumdedit, relicto unico filio in vastissimo aedificio All-Torjensi (nam ex post curiam All-Torjensem in minorem quantitatem avus meus reducere coepit, est morte praeventus, avia perfecit) annorum 14, cum duabus metretis siliginis solum, ascenditque in bona sua Csikiensia, egit et cum his sic, prout et bonis Háromszékiensibus, ita, ut de mortua matre unicus filius nihil invenerit in manibus suis. In hoc tamen laudandi, quod fidem orthodoxam strenue defenderint, ut constans majorum traditio et hodie in ore omnium Torjensium deprædicatur. Neque hoc Andrea vivente, aut uxore ejus templum Fel-Torjense occupari poterat, quibus mortuis subito occupatum est, avo meo puero existente. Quin imo dum Commissarii exmissi fuissent ad evertenda altaria, heterodoxisque tradenda templa, velut altera Penthesilea, assumtis foeminis et puellis ante Commissarios cursitabat, ab ereptioneque templorum arcebat ut hodie etiam populi in ore, cum hac comminatione: Szent Asszony úgy segéljen, ha ide jösz, meg kell

halnod, id est : Sancta Domina sic me juvet, si huc veneris, debes mori. Sicque felix mulier in hoc, partem illam Háromszékiensem, quae et hodie verum Deum vere colit, una cum Sede Csik a labe conser-vavit ; hinc forte meruit, quod et hodie in templo Felső-Torjensi tumba ipsius, una cum tumba Catharinae Apor, conjugis Joannis Kálnoki, incorrupta et quasi solum ante aliquot dies inposita videatur, quas paucos ante annos curiositatis ergo solus aspexeram, quamvis in tumba corpora earundem non inspexerim.

Talem ergo eclipsim passa humillima familia Aporiana. Jam redeo ad unicum surculum antiquae hujus nobilis familiae decem et quatuor annorum, avum scilicet meum, Lazarum, quem adhuc in nativitate sua quondam vere Lazarum futurum pater praedixerat, cum amissis omnibus prolibus votum fecerat, quod si adhuc ipsum prole mascula bearet Deus, quo majoris mendici nomen inveniret, ad illius nomen filium suum baptisari curaret; miserioris sortis nomen ergo cum non inveniret Lazaro, sic Lazarum filium suum baptisari curavit. Hic materia primo datur calumniandi calumniatori, sed an vera? judicet justus Philaletus; cave tamen calumniator, ne talibus calumniis Deum offendas, qui potens est fors cras tecum sic agere, qui hodie gloriaris in familia et divitiis, ne intra momentum Irus efficiaris. Divitiarum enim et paupertatis medium unicum solum momentum est. Lazarus ergo annorum 14, discedente matre, in vastissimi aedificii All-Torjensis (cujus et hodie fundamenta exstant, et praeter quod et aliud jam vix remanserat) quodam cubiculo ad ignem sortem suam deplorans, superveniente quodam antiquo nobile servitore patris, Andrea Bartha, qui et penes puerum

remanserat, interrogatus: cur ploraret? respondit: juste ploro; en mater cum duabus metretis siliginis me reliquit, num ego aliquando panem triticeum comedere potero? A quo consolatus et in spem erectus, fideliter curam pueri gerebat. Evoluto anno uno, jamque puero annorum 15, svadere coepit, ut duceret in uxorem filiam annorum 14 antiquae familiae Melchioris Nagy de Bibarczfalva, locumtenentis capitanei sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay ut et Miklósvár; svasit et persvasit. Indicitur dies nuptiarum 15 annorum sponso et 14 annorum sponsae (nomine Frusianae), egit architriclinnm Thomas Bassa, famosissimus ille vir, principis consiliarius et Sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay supr. capitaneus, sponso in propinquo sangvine junctus. Prout vero Bassa sponso, sic Bassiana sponsae a propinquo sangvine juncta fuerat, et ipsa die nuptiarum a tenera hac virgine interrogabat: Soror, inquit, scisne ollam pultium coquere, cum jam nubas? Vixit non multis annis cum hac uxore, sic tamen vixit, ut potio-rem partem bonorum a patre abalienatorum feliciter recuperaverit, erat enim ingenio et prudentia singulari, prout et hodie fama inter nos circumfert. Sed et quidam nobilis Andreas Köncezi de Karatna in die obitus avi hujus mei in quodam suo libro mortem ejus sic notavit: „Anno 1643. 15-a Augusti, mortuus est Lazarus Apor, qui ingenio et prudentia pollebat.“ Ex hac uxore aliquot proles suscepit: masculas quidem superstites nonnisi duas: Andream et Franciscum; Franciscus in aula Excellmi Generalis Cassovien-sis Adami Károlyi educatus, redux in patriam, juvenis a multis gestis, sed vel a choreis in Transylvania notissimus, in juventutis flore mortuus est

in Csik Rákos anno 1667; Andreas vero genuit Franciscum, Franciscus Volfgangum et Lazarum, modo superstites nepotes meos charissimos; et Volfgangus quidem mansit coelebs, Lazarus vero duxit uxorem Theresiam Kapi, filiam Joannis Kapi et Clarae Vitéz, filii Gabrielis Kapi et Mindszentianae, perpetui haeredis arcis Kapi, in Cottu Sárosiensi. Adeoque et familia Kapiana in Hungaria, et Mindszentiana in Transylvania, antiquissima; prout vero Theresia Kapi ex patre antiquissima est familia, similiter a matre Vitéziana, prout omnes fasti testantur. Filii Lazari Apor: Emericus, Stephanus, Lazarus, Gabriel, filia Elisabetha. Mortua uxore prima aggressus est anno 1627 ducere aliam, Juditham Imecs, quam et anno sequenti 1628 feliciter duxit. Erat haec familia Petronellae Thomori, filiae Laurentii Thomori, nepotis archi-episcopi quondam Colociensis, et bani Serviensis, Pauli Thomori, qui cum rege Ludovico II ad campum Mohács pro patria gloriose occubuit. Petronella haec Thomori prius quidem erat conjunx Nicolai Mikó de Bodok (qui genuit rursum Nicolaum, qui Stephanum, qui Franciscum et Joannem Mikó de Bodok, modo superstites; Joannes Mikó hactenus coelebs); Francisci vero filii a Sophia Bethlen Páulus, Nicolaus et Franciscus. Pauli conjunx Clara Bethlen; filiae Francisci Mikó: Susanna et Maria; Susanna nupsit Emerico Bánffi de Losoncz; filia vero dicti Stephani Mikó Helena, quae nupsit Danieli Vas de Czege, cujus filii Nicolaus, Georgius et Daniel Vas. Mortuo vero Nicolao, secundo nupsit Stephano Imecs, antiquissimae inter sículos etiam familiae, quorum etiam antecessoribus erat demandata interemptio Templariorum in monasterio Haraly in

sede Orbai. Hic Stephanus Imecs, demortuo Melchiore Nagy de Bibarczfalva, successerat in locum tenentia Capitaneatus Sedium Siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbay ut et Miklósvár, Serenissimo Sacri Rom. Imperii et Transylvaniae Principi Gabrieli Bethlen charissimus. Horum ergo erat filia Juditha Imecs.

Sed quia huc devenimus, de regio sanguine hanc Juditham Imecs procreatam sequens genealogia ostendit, prout ex conventu Colos Monostoriensi authentice excepti et penes me habeo.

Truncus Nicolaus Báthori, uxor ejus Sophia Bánffi, horum filius Stephanus Báthori, regis Poloniae Stephani Báthori pater, filia Barbara Báthori, haec nupsit Andreae Czire, horum filia Petronella Czire, quae nupsit Nicolao Valkai de Nagy-Eskellő (iste Nicolaus Valkai cum conjuge sua Petronella Czire ejusdemque matre Barbara Báthori quiescunt in templo Nagy-Eskellőiensi, ut apparet ex epitaphio lapidi inciso; requiescant in pace). Haec quatuor filias habuit: Annam, Barbaram, Susannam, Elisabetham. Elisabetha nupsit Laurentio Thomori; hujus filiae iterum Petronella et Anna; Petronella nupsit quidem primo Nicolao Mikó de Bodok, secundo Stephano Imecs de Nyujtód; hujus filia Juditha superius dicta, quae nupsit Lazaro Apor de All-Torja; hujus proles jam inferius denominabuntur, et inter reliquas genitor meus, Joannes, cujus filius ego, Petrus, filii mei ex comitissa Barbara Kálnoki Josephus, Joannes et Ladislaus, filiae Susanna et Anna; Susanna nupsit comiti Joanni Haller de Hallerkő, quae sine semine defecit, et reliquae proles mortuae sunt.

Sed ab ordine et avo meo tantisper recedere li-

ceat, quousque et reliquas inclytas Transylvaniae familias a Nicolao Báthori descendentes descripsero, ne meam exaltare et illas defraudare videar. Scriptum ergo est, Nicolaum Valkai quatuor habuisse filias : Annam, Barbaram, Susannam et Elisabetham, Elisabetham nupsisse Laurentio Thomori; Anna ergo nupsit Franciso Edenffi, et sine semine defecit; Barbara nupsit Stephano Borsovai, cujus filius Sigismundus Borsovai, cujus filia Elisabetha, quae nupsit Georgio Sükösd, cujus filia Elisabetha, quae nupsit Stephano Petki de Királyhalma, inferius cum suis titulis laudando, cujus filius Joannes Petki, supremus Judex Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon, cujus filius modernus Comes David Petki, supr. Comes Cottus Colosiensis, cujus filius ex comitissa Sara Zichy, Comes Stephanus, vivat; filiae Susanna, consors Illrmi Dni Comitissae Francisci Kornis de Göncz-Ruszka, et Rosalia, consors Comitissae Stephani Mikes de Zabola; reliquae filiae nobiles sunt, scilicet Barbara, Clara et Anna Petki. Filiae Joannis Petki: Sara, consors Illrmi Dni Joannis Toroczkai de Toroczkó Sz. György, Tabulae Reg. assessoris; Sarae Petki filii: Balthasar et Ignatius Toroczkai; filiae: Christina, consors Joannis Béli, item Maria Toroczkai. Theresia Petki, consors Illmi Dni Georgii Bálinth de Tövis, Exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii; filii Theresiae Petki: Stephanus et Sigismundus Bálinth. Filiae dicti Stephani Petki: Catharina, quae nupsit Stephano Lázár de Szárhegy, supr. Judici Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; cujus filia Elisabetha Lázár, quae nupsit comiti Samueli Kálnoki de Körös-Patak, cujus filia Barbara Kálnoki, consors Baronis Petri Apor; reliquae pro-

les Kálnokianae describentur in deductione familiae Kálnokianae.

Secunda Elisabetha Petki, quae primo nupsit Thomae Nagy, cujus filia Sophia Nagy, quae nupsit Petro Daniel de Olosztelek, cujus filius Josephus Daniel, supr. Judex Reg. sedis siculicalis Aranyas; filiae: Barbara Daniel, consors Joannis Nemes de Hidvég, et defecit, Maria Daniel, consors Comitis Martini Keresztes de Sárpatak, supr. Comitis Cottus de Kükellő, cujus filiae: Clara, consors Baronis Emerici Perényi, Catharina, consors Baronis Francisci Andrási, Maria, consors Baronis Pauli Perényi, Barbara, consors Samuelis Bethlen de Iktar; item filiae nobiles: Sophia ¹⁾, Theresia dictae. Elisabetha Petki secundo nupsit Paulo Telekesi in Ungaria, et defecit.

Dicti Josephi Daniel a Maria Macsesdi filii: Joannes, Alexius, filia Sophia, consors Volfgangi Csongrádi, cujus filius Ladislaus, filiae: Maria, Barbara. Dicti Josephi Daniel a secunda conjuge, Anna Toroczkai filia, Petri Toroczkai, filii: Gabriel, Petrus, filiae: Catharina, Christina, Theresia. Dictae vero Clarae Keresztes a Barone Emerico Perényi filii: Carolus, Alexius; Barbarae vero Keresztes a notato Samuele Bethlen de Iktar, filius Dominicus, filia Barbara.

Tertia Juditha Petki, quae nupsit Joanni Damokos de Alsó-Csernáton, cujus filius rursum Joannes, cujus filii: Alexius, Antonius, Joannes, Franciscus; filia Barbara. Judithae vero Petki filiae a Joanne Damokos: Susanna et Catharina; Susanna nupsit Petro Jankó de Zágon, cujus filii: Francis-

¹⁾ Sophia nupsit Laurentio Baroni Révay (későbbi jegyzet)

cus, Stephanus et Petrus. Franciscus mansit in seculo, Stephanus intravit Ordinem Sancti Dominici in Polonia, et nominatus Casimirus, Petrus factus Soc. Jesu religiosus. Catharina nupsit Stephano Boér de Nagy-Nyujtód, cujus filius iterum Stephanus, filia Anna, quae nupsit Joanni Szeredai de Sz. Rontás.

Barbara Petki, quae nupserat Benedicto Henter de Sepsi Sz. Ivány, nuper supr. Judici Reg. sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; filii Ladislaus et David.

Susanna Valkai nupsit Ladislao Sombori, cujus proles Elisabetha et Gabriel; Elisabetha nupsit Andreae Lázár de Szárhegy, hujus genitor, Stephanus, sub Joanne Sigismundo, Primarius sculus, frater vero Stephanus et Petrus. Stephanus currente saeculo 1500, sub Sigismundo Báthori praetorianorum ductor, qui etiam in proelio Andreae Báthori Cardinalis cum Michaele vajvoda Transalpinæ fortiter pugnando, in conflictu mansit, qui Stephanus etiam sub Stephano Báthori, rege Poloniae in bello moscovitico clarissimus fuit. Stephanus vero, genitor Andreae, qui sub Maximiliano archi-duce, et Sigismundo Báthori cum turcis ad pagum Keresztes viriliter occubuit. Parens vero hujus Stephani, rursum Andreas, totius Transylvaniae cancellarius, qui et primatum inter sculos tenuit, ut apparet ex Constitutionibus incl. nationis siculicae ad annum 1506, in villa Agyagfalva; ita et Istvanffius. Andreae hujus secundi filius ab Elisabetha Sombori Stephanus, hujus rursum Stephanus, omnes supr. judices regii sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászon; hujus Stephani filius Comes Franciscus Lázár, incl. Tabulae Reg. assessor, cujus proles: Drusiana Lázár, consors Spect. Dni Davidis

Henter de Sepsi Sz.-Ivány, adjuncti provincialis commissarii; filii: Ladislaus, Adamus, Gabriel, Franciscus, Michael, filiae Christina, Catharina, Barbara, Clara. Sed ad decorem hujus illustrissimae familiae Antonius Lázár, a prima conjuge, Margaretha Kornis de Göncz-Ruszka, factus religiosus Soc. Jesu, et in hac sacra religione piissime cum fama sanctitatis diem suum clausit. Sed etiam antiquitas hujus illrmae familiae apparet ex eo: quod retroactis quinque saeculis (si paucos annos excipias) semper supremum officium gesserint in sedibus Csik, Gyergyó et Kászón. Filia vero dicti ultimi Stephani Lázár, soror germana Comitis Francisci Lázár, Elisabetha, quae nupsit comiti Samueli Kálnoki de Köröspatak, cujus filia Barbara, consors Baronis Petri Apor, cujus filii: Josephus, Joannes et Ladislaus, filia Anna. Reliquae proles Elisabethae Lázár specificabuntur in deductione familiae Kálnokianae. Saed haec antiquissima familia facile primores suos ostendet adhuc a tempore Toxi ducis, avi sancti primi regis Stephani, qui ad Ismacham Thuringiae capti, et a consociis hungaris redempti sunt; nec etiam facile redemptos crediderim, nisi et tunc inter primores fuissent, teste Bonfinio Dec. I. Libr. 10. Capitaneos Ungarorum fuisse scribit Beham, fol. 7. item Thuróczius P. II. c. 9. Sed vel inde gloriari potest, quod inter omnes Transylvaniae principes gloriosissimus, Gabriel Bethlen de Iktar, matrem habuerit Drusianam Lázár, conjugem Volfgangi Bethlen de Iktar, filiam Andreae Lázár Cancellarii ex conjuge sua Barbara Gyalakúti.

Notavi superius Laurentium Thomori habuisse etiam filiam Annam, quae nupserat Stephano Cseffi de Noszaj, cujus filius Ladislaus Cseffi, proto-nota-

rius regni, et sine semine defecit. Secundo vero nupsit supr. comiti Sigismundo Hatvani, sed nulla prole superstite, et in hac Anna Thomori nomen Thomorianum cum honore sepultum est.

Sed Petronella Thomori praeter Juditham Imecs habuit plures etiam proles, nempe Michaellem Imecs, qui in adolescentia mortuus est; filias Helenam et Frusianam. Helena nupsit Michaeli Jankó de Maxa, cujus filia Helena, quae primo nupsit Ladislao Mikó de Oltzeme, qui absque prolibus mortuus est, secundo Stephano Gyulai de Várad, cujus filius Ladislaus, cujus filii ex Baronissa Anna Haller (magni illius Joannis Haller, a sanctitate vitae notissimi, thesaurarii Transylvaniae, trium regnantium principum, nec non augustissimi Leopoldi imperatoris, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consilarii intimi, Cottus Tordensis supr. comitis, nec non Catharinae Kornis de Göncz-Ruszka, filia): Gregorius, Joannes (hujus filius Stephanus) et Ladislaus; filiae: Julianna, consors spect. Dni Pauli Béldi de Uzon, hujus filius Antonius; secunda Juditha, prius quidem consors spect. Dni Stephani Toroczkaei de Toroczko Sz.-György, filiae hujus Anna et Barbara; quo deficiente, secundo consors spect. Dni Petri Macskási de Tinkova, cujus filius Ladislaus. Tertia filia Anna, mansit virgo. Frusiana nupsit Simoni Boér de Kopocsel, cujus filii: Sigismundus (in gratiam principissae Apaffianae, Annae Bornemisza factus Calvinii assecla et obtinuit vice-capitaneatum Fogarasiensem), Franciscus et Paulus, filia Sophia; Sigismundi filius Paulus; Francisci filii: natu major Simon, arcis et districtus Fogarasiensis supr. Capitaneus; filii ejusdem: Andreas et Emericus, filia Juditha, consors spect. Dni Nicolai

Kereszturi, supr. judicis Reg. incl. Sedis Maros. Secunda Sara, consors Gabrielis Jósika de Branicska, cujus filii David et Gabriel. Nicolai Keresztúri filii: Michael et Stephanus. Tertia Susanna, nubilis. Secundo-genitus ejusdem Francisci Franciscus, supr. Capitaneus arcis Somlyó et incl. Cottus Krasznensis supr. comes, cujus filius Josephus, qui duxit in uxorem Barbaram Haller, Georgii Haller, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii intimi filiam, nec non Annae Kornis de Göncz-Ruszká, sororis moderni Excellmi Dni Transylvaniae Gubernatoris, nec non Illrmi Dni Comitis Stephani Kornis, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii intimi, ac per Transylvaniam supr. commissarii, sororem vero minorem Evae Haller, consortis Illrmi Dni Comitis Ladislai Gyulaffi de Rátóth, Incl. Sedis Siculicalis Udvarhelyi supr. judicis regii ex antiqua hungarorum stirpe. Tertio genitus Francisci Boér filius Gabriel, cujus filius Franciscus. Superius nominati Simonis Boér tertio genitus filius Paulus, cujus filius Ladislaus, Ladislai filius Ladislaus. Filia vero praefati Simonis Boér, Sophia, filii: Samuel, Stephanus et Josephus Boér.

Agressus, ut supra, jam anno 1627 ducere in uxorem avus meus aviam: non prius eidem prudens virgo nupsit, quam prius avus meus prolibus a prima uxore susceptis ratam de omnibus portionem pater extradaret, ea conditione, ut ex Dei benedictione si proles habuerit, etsi unicam, ne ansam contentionis daret cum prolibus primae uxoris, prout hoc clare constat ex testamento avi mei. Conditio inpleta, et ut

supra, feliciter anno 1628 matrimonium contraxerunt; vixerunt invicem annis 15 pacifice. Et quia per matrimonium hoc pulchra portio bonorum accessit avo meo, oeconomisabant ambo sic, ut jam (praeter accepta per Fiscum, ut supra) universa bona abalienata tam a patre, quam a matre in Háromszék et Csík recuperarent, prout hoc apparet ex deliberato coram magno illo viro Stephano Petki, inter reliqua officia sedium siculicalium Csík, utriusque Gyergyó et Kászon supr. Capitaneo anno 1648 celebrato, ubi proles a prima uxore, mortuo marito, aviam meam cum suis prolibus in bonis maternis reacquisitis impetere volebant. Non solum vero reacquisiverunt abalienata, verum pluribus bona adhuc sua exigua auxerunt.

Sed calumniatori rursum hic calumniandi datur ansa, sed an recte? Philaletho judicandum relinquo. Objiciet ergo calumniator: hunc Lazarum fuisse vice-judicem regium per 15 annos sedis Kézdi; ad quam calumniam respondeo:

Primo: Ostende ante hunc, aliquem Aporium vice-officium gessisse, ostendam ergo tibi, si vis, ante hunc plures Aporios suprema officia gessisse. Respondeo secundo, retorquendo: Lazarus Aprer erat v. judex regius per 15 annos Sedis Kézdi, non nego, sed eodem tempore illius collegae erant in sede Sepsi Stephanus Kálnoki, parens Comitis Samuelis Kálnoki, in sede Orbai Sigismundus Mikes, ex post principum consiliarius et supr. stabuli praefectus, parens Michaelis et Clementis Mikes, illius quidem totius Transylvaniae Generalis et consilarii, hujus vero Regni Praesidentis, Siculorum Generalis, prius sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklós-

vár supr. capitanei, ex post incl. Cottus Albensis supr. Comitibus et regni proto-notarii, genitoris Comitibus Michaelis Mikes; et quod mirum, tantis officiis fratres suos germanos functos, minor tamen eorum germanus Thomas Mikes sequebatur ut v. iudex regius Sedis Kézdi; in sede Miklósvár Ladislaus Kálnoki. Objice ergo et his inclutis familiis, livor, quod quondam fuerint v. iudices regii, prout haec patent ex protocollis incl. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár. Sed an fuisti in iudicio Dei? Quis scit, si Lazarus hic pluribus potuisset annis vivere, num et hic ob singularem prudentiam promotionem suam perdidisset? mortuus enim est in optimo quasi aetatis robore, anno suae aetatis 48, vel inde vero nobilis, quod illustrissima familia Mikesiana tantisper nota infecta, quamvis subito in gratiam recepta, universa bona Mikesiana donatione mediante huic Lazaro erant collata per principem Rákóczium, prout et donationes actu prae manibus meis exstant; quam primum vero eadem illustrissima familia in gratiam recepta fuit, amore fraternitatis universa restituit. Tertio: dum illa tempora, quo avus meus officium hoc gessit, fuerint valde tempora bellicosa, turbulenta et mirabilia, ut ex scriptoribus transylvanicis constat, lege vero patriae, ut habetur Approb. Const. parte 5. edicto 58, vice-iudices regii ab expeditionibus bellicis erant immunes, hinc vel primariae familiae vice-iudices regii esse ambiebant; prout etiam hodie vel ipsi vice iudices regii in sedibus Siculicalibus Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár semper ex primariis familiis eliguntur et constituuntur. Sed et nota, inter siculos saepius ex vice-officialibus factos fuisse supremos, et consiliarios principum, ut hoc

apparet ex protocollo Trissediensi praeter fatum Sigismundum Mikes in persona Thomae Nemes.

Mortuo ergo anno 1643, aetatis suae, ut supra, annorum 48 Lazaro, relictā vidua Juditha Imecs cum 6 prolibus masculis, Lazaro, Petro, Stephano, Joanne, genitore meo, Volfgango et Sigismundo postumo, matrem prolium harum principissa Sophia Báthori, celsissimi quondam principis Georgii Rákóczy junioris vidua, ad servitia sua sollicitavit, quae tamen minorenitate prolium suarum semper se excusaverat, adultis vero prolibus (exstant litterae) scribit, jam nullam habere excusationem posse, cum proles adoleverint, lataque praedia in quatuor pagis ex proprio patrimonio promittebat; opinor ob famam insignis oeconomiae et religioni catholicae addictissimae. Utinam non respuisset, fors et culina mea hodie pinguior esset.

Hac relictā vidua templum supra Karatna anno 1660, ut in relatoriis apud pie defunctum patruelem meum Stephanum vidi, ipso die Theophoriae sacro vi raptum, sic: dum processio perrexisset ex templo All-Torjensi more solito ad sacrum hunc locum, praelatumque fuisset vexillum quod avia mea curaverat, et cui nomen suum acu inpietum erat, calvinistae vi obviam ruentes, „non huc feres amplius Juditham Imecs“, et sic miseri catholici in illis temporibus turbulentis et a devotione turbati et templo privati sunt. Obiit haec pia mulier anno 1676, circa 10 Decembris, ex moerore mortui filii Joannis.

Lazarus, absolutis Tyrnaviae studiis, redux in patriam, principi Georgio Rákóczio in infausto conflictu ad Gyalu unus ex custodibus corporis erat, a latinitate et militia illo tempore laudatissimus. Ex-

post sub expeditionibus ad Szathmarinum, Bösör-mény, Füleky et Viennam tam sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár, quam sedium siculicalium Csik, utriusque Gyergyó et Kászon capitaneus supr. substitutus, adeoque post praeclara gesta et fidelia obsequia a Celsissimo principe Michaelé Apaffi post reditum ab obsidione Viennensi supremo Capitaneatu actuali incl. sedium siculicalium Csik utriusque Gyergyó et Kászon, necnon protonotariatu donatus erat. Priusquam vero haec officia adire potuisset, mortuus est in curia sua nobilitari Kis-Nyujtődienſi, anno aetatis patris 48, Christi 1683.

Petrus tantisper aulam principis Georgii Rákóczy junioris secutus, exposit cum eodem in regnum Poloniae cum armata pergens, in deplorando illo conflictu vel potius laniena, ubi exercitus transylvanus vel totaliter deletus, vel in miseram captivitatem abductus fuisset, gloriose in conflictu periit. Erant in hoc conflictu funestissimo duo Aporii: jam nominatus Petrus, et frater ipsius a patre germanus, Andreas. Hic in diram captivitatem Crimensem ductus, postliminio patrimonio suo divendito, aereque aviae meae liberatus, saepe miseram suam in illa captivitate calamitatem, me etiam puero audiente, describebat, sed e litterae ex eadem captivitate novercae suae, aviae meae scriptae, et a me conservatae testantur.

Hinc, invidie livor, fors iterum accipies materiam calumniandi, dum magnum illum comitem Stephanum ab ovo describam; sed in fine suo respondebit Philalethus. Stephanus ergo hic inter reliquos fratres puer petulantior, sed qui semper cum advenis et ignotis conversaretur, notitiamque contraheret, ex quibus actibus suis tunc adhuc bonum omen capiebat,

a matre reliquis fratribus postpositus; cujus petulantiam dum mater compescere non valeret, tradidit eundem magno illo viro, cujus fama in Transylvania perennis erit, cui dum et turca principatum Transylvaniae offerret, gloriose respuit — scribo: magno viro, qua et ecclesiae catholicae acerrimo propugnatori, et patriae patri ac defensori, Stephano Petki de Királyhalma, totius nationis siculicae Generali, aulae principis supremo magistro, consiliario intimo, incl. Cottus de Kükellő Comiti nec non sedium siculicalium Csik utriusque Gyergyó et Kászón Capitaneo utrobique supremo, magno, ut scribo viro, sed qui vere illud poetae observavit; „Verus amor miserum nunquam contemnit amicum“, eo magis consangvineum. Nam Stephanus, etsi ex humili familia Aporiana fuerit, valde tamen proximus erat cognatione huic magno viro. Suscipiens ergo in aulam suam magnus hic vir petulantissimum hunc puerum, ubi ut domi, sic hic petulantissimus (quae scribo, ex ore ipsius desideratissimi mei patruelis Stephani habeo gloriabundi), petulantiam ejus magnus vir omni conamine frangere nitebatur, subinde scuticae non parcens; sed scutica dum eundem punire volebat, solebat dicere: deponite tapetem super quem jaceat, consangvineus enim meus est.“ Subinde nudipedem penes carpentum circumducebat, et mille quidem modis et mediis petulantia pueri frangebatur; ast disciplinam puer ferre non valens, semel clam ad matrem discessit; mater, egregie verberibus excipiens, verberatum domino remisit, ubi secundam castigationem, si non majorem, similem rursus acquisivit. Subinde vestibus nudatum herus suus puniebat, tunc etiam ad matrem confugit, quae materna misericordia tacta, vestes ipsi honestas cu-

ravit, remisit tamen ad herum. Herus dū interrogasset, ubi vestes accepisset, et gloriabundus respondisset: has mihi domina mater curavit: detractae subito vestes, dominus Stephanus tapeti incumbens, egregiam rursum scuticam acquisivit, vestes matri remissae, addita scriptura: si vellet mater, ut Dominus illum instrueret, abstinere a similibus, sciret enim in tempore, quales vestes fieri deberent Stephano, jam ipsi curae esse. Et cum magnus ille vir, videns ingenium pueri, omnibus mortificationibus eundem castigaret, tertio ex Maros-Szent-Gyögy, dum dominus et domina ad meridiem quiescerent, iterum clam discedit, sed ex proximo nemore revertitur, et jam herum et heram, ad parvam portam sedentes invenit, quibus audacter obviam it, lodicem suam sub ulnis portans; quem cum interrogasset herus: ubi fuisti, Stephane? respondit: aufugeram, Domine; ad quem herus: quousque aufugeris? ad proximum, inquit, nemus. Ad quem herus: cur ergo redivisti? recogitavi, inquit: si domum ivero, mater mea me egregie verberari curabit, et remittet, et hic adhuc melius verberabor; hic sum, videris, domine; si semel curaveris verberari, bis non patiar. Cui subridendo herus et hera dixerunt: Intres solum, Stephane. Duravit haec mortificatio petulantiae tribus fere annis. Interim princeps Georgius Rákóczy junior considerans quidem et pueri petulantiam, sed et dexteritatem et prudentiam et activitatem in agendo, saepe ad magnum virum, herum Stephani dicebat: Videbis, domine frater, adhuc in tempore praeclarissimus vir efficitur ex Istók, sive Stephano, eo enim nomine compellabatur tam a principe, quam hero suo, quam reliquidominis, in hoc tunc etiam valde laudatus, quod sem-

per fidelissimus fuerit hero suo. Discant hic parentes, quomodo petulantes proles educare debeant. Post plurimas ergo toleratas mortificationes, contigit semel, ut Stephanus ab hero mitteretur ad supremum principis clavigerum, ut mitteret ipsi ex principis vino; probabiliter impeditus claviger respondit: minimam suam curam nunc majorem esse; quod responsum dum retulisset hero, herus componens cultrum et strophium (ad prandium enim erat), nulli quidquam dicens, recta vadit in aulam principis, et intra portam ad se accersiri curat supremum clavigerum; quem dum interrogasset: quisnam officialis suae celsitudinis esset? respondissetque: se supremum clavigerum esse, rursum reponit: quis ergo ego? respondit: scio quod Dominus sit supremus aulae praefectus; cui reponit: talis et talis inter supremum aulae praefectum et supremum clavigerum magna distinctio. Tunc clavigerum ad nauseam verberari curat. Hinc claviger terrefactus, etsi Stephanus pleno dolio vinum desiderasset, non denegasset. Dolio quidem non, sed convocatis úrfionibus et majoris characteris nobilibus juvenibus, ex principis vino Stephanus convivia faciebat; quod ubi herus suus rescivisset, dissimulavit, et bonum omen pronunciavit, dum cum se majoribus conversaretur. Contigit autem, ut ad salutandum principem intrarent in Transylvaniam Comites Zrinyi et Draskovics, cum quibus quidam Pater Paulinus, cujus pulchro cantu dum mirifice delectaretur princeps, contigit, ut omnes in prandio bene biberent, et ad coenam Pater non compareret; dum vero interrogasset princeps, ubi esset Rudus Pater? respondissentque principi: non posse venire, nam ad fornacem se ponens, habitus ad dorsum combustus est,

subito princeps suam albam chlamidem adferri curat, cujus subductura sola constabat, ut pie defunctus patruelis referebat, tribus millibus leoninis (leoninus constat duobus flor. hung.) eandemque Patri mittit et donat, et subito ut adveniret, mandat. Sub coena jam laetus princeps, ut magnificentiam suam coram dominis Hungariae ostentaret, ordine dominos alios vestibus pretiosis, alios ornamentis equorum, alios armis donare incipit, solus magnus hic vir, Stephanus Petki, nihil acceptare voluit. Contigit autem, ut more solito ad mensam crapulatus obdormiret, tunc surgit princeps, et clam 100 aureos sacco ejus imponit, digito comminans Stephano his verbis: „Istók, Istók, tudd meg hogy én vagyok az erdélyi fejedelem,“ id est: Stephane, Stephane, scias me esse principem Transylvaniae. Postquam vero magnus hic vir discessisset cubitum, et mane surrexisset, induta tunica, more solito, ut crapulatam tergeret frontem, excipit stropholum, excidunt aurei, de quibus dum Stephanum interrogasset, quis sacco imposuisset, respondissetque: se tantisper in negotio heri a tergo ipsius discessisse, probabiliter tunc sunt impositi — exclamavit: „Chare princeps, tuum est hoc donum.“ Dumque ad principem intrasset, et princeps interrogasset: „Domine frater, dixitne tibi aliquid Istók? sive Stephanus: dumque reposuisset: nihil, rursumque interrogasset: invenissetne aliquid in sacco? respondit: „Omnino; et statim adverti, Vestrae Celsitudinis clementiam esse.“ Ibi princeps narravit, quomodo imposuisset 100 aureos, et comminatus fuisset Stephano. Tunc rursum princeps: Domine frater, sicut saepe dixi, honora Istók, sive Stephanum, praeclarus adhuc ex illo vir efficitur; ecce puer et ad unam comminatio-

nem nostram qualem fidelitatem servavit!" Ex aula in hospitium discedens, magnus hic vir jubet, ut Stephanus jam mensae suae assideret (dicebat pie defunctus patruelis meus: maluisset nudipes ex regno exire, quam illi tabulae assidere; debuit parere vel propter solum metum). Expost jam omnia heri sui prae manibus habens, a petulantia correctus, adhuc duobus annis penes herum suum mansit. Post haec magnus ille vir procuravit illi matrimonium cum Barbara Veres, filia filiae Matthiae Huszár, prius conjugis Stephani Szeredai, et quia a patre Stephani multae proles relictæ erant, creavit primo vice-judicem regium inferioris Csík. Sed Stephanus et tunc, quis esset futurus, ostendit, dum duos tresve scyphos argenteos, quos a majoribus acceperat, pignori imponebat, et tamen semper cum se majoribus convivabatur. Mansit in eo statu, donec anno 1678 Paulus Béli ad portam ottomannicam confugisset (quamvis Stephanus jam bis Constantinopoli fuisset, et trans mare bonam partem terrarum peragrasset), cum Volfgango Bethlen et Clemente Mikes contra Bældium Byzantium missus, ibi feliciter confectis rebus principis, pro laeto nuncio referendo remittitur ad principem, qui dum principi exposuisset, fratrique suo Lazaro (qui Bældio adhaerebat, et mirabiliter eundem Constantinopoli a captivitate complici liberaverat) gratiam impetrasset, rursum a principe accipit gratias has: creatur supremus arendator tricesimarum transylvanicarum, donatur bonis Valentini Kálnoki, aequè partem Bældianam secuti, et Constantinopoli in captivitatem detrusi. Mortuo autem magnæ memoriæ viro Joanne Petki, supr. judice regio sedium Csík, utriusque Gyergyó et Kászón, sub Magno Cibinio in castris earundem

inclytarum sedium supr. iudex reg. electus et creatus est a celsissimo principe Michaelē Apaffi, et paulo post etiam Tabulae Judiciariae ut vocant Regiae assessor confirmatur, et vita ejusdem celsissimi principis durante his officiis functus. Mortuo enim Fogarasini, invaserat Thökölius regnum Transylvaniae, et exiguam militiam caesaream multitudine ad Törösvár obruit; praesens in hoc conflictu, vix evasit, ubi tamen magna pars Transylvaniae Thökölío adhaesisset, mansit in fidelitate augustissimi Leopoldi inconcussus Claudiopoli. Jam qualia merita in ecclesiam Dei, in regem legitimum, in patriam habuerit, calamus meus exprimere non potest; scio historicos memoriae prodituros posteritati; tu inde conjice, Lector, quod supremus in terris Christi vicarius binas (quas ut gemmas custodio) litteras ipsi scribere non sit dedignatus. Conjice, secundo, non secus acquisivisse supra-fata officia, nisi magna virtute. Scio acta hujus magni viri ad consummationem saeculi duratura. Mortuus est Cibinii anno 1704, dum tunc etiam in fidelitate augustissimi sui regis subsisteret. Ut vero educationem suam posteritati transcriberem, saepe me monuit.

Sequitur Joannes, genitor meus, qui necdum duorum annorum uxoratus, dum ego 3-ia Junii anni 1676 natus fuisset, ille 2-da Decembris eodem anno peste exstinguitur, a sanctitate vitae, et a bona oeconomia laudatus, me relicto in testamento fratri minori Volfgango. Sed et hic homo juvenis anno sequenti 1677 eadem peste exstinguitur, me relicto fratri suo majori Stephano.

Sigismundus infans unius anni mortuus.

Vidisti, Lector, avum meum et aviam meam sex habuisse filios; habuerunt et filias duas: Barbaram

et Sophiam; Barbara nups erat Perillustri Dno Francisco Tordai de Somolyom (de qua familia et in quibusdam gallicis scriptoribus, sed latino idiomate, multa laudabilia legi), cui couvixit medio solum secundo anno, nam maritus ipsius etiam mansit in nunquam satis deplorando conflictu polonico. Viduitatem servavit annis quinquaginta et uno cum summa laude, ita, ut merito concionator assumeret textum S. Pauli (I. ad Timotheum cap. 5. versu 3.) Honora viduam, quae vere vidua. Est mortua anno 1708, anno aetatis 78. Sophia vero virgo nubilis mortua est.

Ex tot tamen prolibus avi mei Lazari et aviae meae Judithae Imecs unicus nepos per misericordiam Dei vivo ego, Petrus, qui haec scribo, qui an serviverim ecclesiae Dei et patriae, etsi intentio non defuit, tamen certus non sum. Interim de actis meis qualia testimonia habeam a Dno Dno Gubernatore Transylvaniae Comite Sigismundo Kornis, et ab antiquitate familiae et a variis animi corporisque dotibus vere excellentissimo, Suae Smae Caes. Regiaeque Mattis Generalibus Commendantibus, reliquisque officialibus per manus fidelis Notarii in Ordinem reduci curavi; illa lege, posteritas, et si quae digna inveneris quae sequaris, sequere, sin minus, fac opera digniora. Vidisti superius, nondum me medii anni infantem, et jam orphanorum panem comedisse, fortuna me lusit et illusit, quam nec laudo, nec culpo, nihil aliud tibi, posteritati, transscribo de actis meis, nisi quod sacrae salvificae apostolicae romanae fidei omnibus viribus intendissem servire, sed vel inde gloriator, quod ad viginti vel viginti quinque nobiles animas e faucibus Diaboli ad salvificam hanc fidem traduxerim, et quidem aliquas tales, de quibus dicebatur: citius

me ex petra aquam educturum, quam illas conversurum. Operante tamen mecum Spiritu Sancto, viderunt omnes illas catholicas, et obstupuerunt. Legisti, posteritas, superius, nunquam Oporium vel Aporium labe haeresis infectum, nec tu ergo familiam tuam commacules, Apoc. 2. v. 10., sed esto fidelis usque ad mortem, id est ad consummationem seculi, et dabitur tibi corona vitae. Sed et vos, filios meos charissimos, Josephum, Joannem et Ladislaum, paterne moneo, ut et vos, prout ego, hanc admonitionem meam paternam non solum observetis, sed et ad posteros sub anathemate transcribatis.

Initium foundationis arcis Bálványos haereditariae Apriorum.

Arx Bálványos sive idololatriae, prout in Confirmatoriis Sigismundi imperatoris superius declaratis vidi, fundata fuit ab Opour. Nam postquam S. Rex Stephanus devicisset Gyulam ducem, et etiam Transylvaniam ad cultum veri Dei deduxisset, siculi tamen parere nolebant, sed super montem petrosum excelsum in sylvis multis annis ad idololatriam ad hanc arcem ascendebant; hinc ad hunc usque diem arci huic nomen mansit Bálványos vára, sive arx idololatriae, quae tamen exteriori muro aucta erat tempore regum Hungariae Belae IV, circa annum 1236, et Ladislai IV, Kún László dicti, quando rex Béla exulare ob tartaros coactus, et sub Ladislao duobus annis per tartaros vastata fuit patria, tunc enim armis victualia ad hanc arcem praedecessores nostri deportabant, et sic se conservabant.

Corollarium totius operis.

In gratiam illorum, qui forte vexis, cachiinnis, calumniis, irrisionibus, jocis hoc meum exiguum opus exceperint, brevissimum hoc corollarium appono. Primo: forte negabis fur famelle, Opourium fundasse arcem Bálványos; ego parum tecum disputabo, sed reponam: aliquis fundavit et erexit; rusticus et ignobilis non fundat, non erigit arcem, ergo qui fundavit arcem Bálványos et erexit, erat nobilis, quocunque nomine vocites. Secundo: controvertes, quod moderna familia Aporiana non descendit a fundatore arcis Bálványos. Libenter tibi concedam, si saeculum, annum vel mensem, imo unicum diem demonstraveris, quod a fundatione ejusdem arcis aliqua alia familia possederit. Si ergo demonstrare non poteris, fatearis, quod a fundatore descendat familia Aporiana. Inficiaberis, quod non tempore idololatriae sit aedificata; sequerer opinionem tuam, si vel ipsum nomen non corresponderet. Sed cum post idololatriam aedificatam non inveniam, nisi auctam, nec tu ostendere poteris, opinioni tuae subscribere non possum. Miraberis me Oporios palatinos et vajvodas scripsisse; si ad palatum non scripsi, desine mirari, et alios loco illorum ad praefatos annos substituas. Sed an ex praestantioribus historicis et litteralibus instrumentis aut monumentis substitutes? valde dubito. Cum cachiinnis excipies nos descendere ab Árpád; videas, habeas tuam recreationem, sufficiet mihi et hoc, quod fundator arcis Bálványos rusticus non fuerit, a quo meam familiam descendere ex praecedentibus rationibus negare non poteris, cujus etiam prae-

decessores haud ignobiles esse crediderim. Quidquid ergo ad praecedentia dixeris, ex hoc corollario negare non poteris, quod familia Aporiana ab exitu ex Scythia non fuerit nobilis. Quod erat probandum, et scopus totius operis.

N. B. Ubi lex patriae praescribit de territorio Aporiano, Compil. Const. Part. III. tit. 8. art. 2. territorium arcis Bálványos est.

P r o t e s t a t i o .

Protestor vero coram Deo, in nullius inclytae familiae invidiam hoc opus, pluribus annis elaboratum, et fere tribus in ordinem redactum, edidi, prout nec ullam inclytam familiam vel minimum laesi; quin imo nec attigi, nec ulli, nisi invido, injuriam feci. Secundo: non ad exaltationem familiae meae laboravi, sed quasi sub anathemate a meo pie defuncto patruele, Comite Stephano Apor hic labor mihi erat impositus. Tertio: quod vix crediderim posteros meae familiae tantam notitiam potuisse habere, cum et ego, ob plurimas vicissitudines temporum, aliquot antiquas litteras nostras perdiderim. Tu ergo vel sola posteritas, charum habe hunc laborem meum, et excusatum me scias, quod non descripserim majorum meorum officia et possessiones, quas a majoribus amplissimas habuisse, et plurima gessisse officia, certo intellexi. Interim, ut vidisti superius, patruelem meum Lazarum anno 1678 universa fere litteralia instrumenta perdiderat Constantinopoli: hic vero ea solum apposuerim, quae ex archivis, libris, monumentis comprobare possum; satius judicavi audita negligere, quae quia authentice comprobare non valuissem, nec volui risui aliorum exponere.

FAMILIA KÁLNOKIANA.

Barbarae Kálnoki matris proles meas esse scripsi; ne ergo huic antiquae familiae suus honor desit, paucissimis attingam. Fundavit itaque hanc inclytam familiam Andreas Nemes de Kálnok; hic, dum in montibus Carpaticis gloriosissimus rex Ludovicus I. venatione se delectaret (venatione enim mirifice delectabatur in juventute, teste Bonfinio), et jam ursa in praedam regem destinasset, hic Andreas in bolum ursae se objecit, et gloriosissimum regem a praeda ferae bestiae liberavit. Hinc huic inclytae, respective illustrissimae familiae ursa pro insigni data, quo insigni et hodie utitur, ut id apparet ex litteris armalibus ab eodem rege datis. Hujus filius Stephanus Nemes de Kálnok, cujus filius Mathaeus, hujus Demetrius, hujus Andreas, hujus Valentinus et Michael deficiens, hujus Valentini superius in Constitutionibus nationis siculicae laudati, Petrus, supr. judex regius trium sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai, a conjuge sua Clara Burcsa; sed hanc verius Aporianam fuisse vide superius. Petri hujus filii: Valentinus et Thomas; Valentinus Tabulae Reg. assessor; Valentini filia, ex conjuge sua Anna Petki, filia Spect. ac Magf. Joannis Petki de Ders, Trausylvaniae cancellarii, Drusiana, quae prius consors Joannis Kemény, ex-

post Thomae Bassa, filius vero Joannes, aequae Tabulae Reg. assessor et sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai supr. judex reg. qui audacter contradixit sanctioni pragmaticae contra religionem catholicam et vel praecipue contra Societatem Jesu, ut apparet ex protestatione anni 1606. Filius hujus Joannis a conjugē sua Catharina Károlyi, filia Stephani Károlyi, serenissimi Poloniarum regis Stephani Báthori campestris capitanei ex conjugē sua Sara Bethlen, filius Stephanus, cujus filius ex conjugē sua Anna Béldi, filia Clementis Béldi, totius nationis siculicae Generalis, acerrimi propugnatoris fidei romano-catholicae, ut apparet ex epitaphio lapidi sepulchrali inciso, ex conjugē sua Margaretha Bánffi, Comes Samuel Kálnoki, qui philosophiam Viennae Austriae absolvit, exposit penes Excellmum Dnum Petrum Comitem a Zrinio, Banum Croatiae familiaris, tam politicis, quam militaribus operam dabat, a quo etiam singulari gladio donatus fuerat. Redux in patriam, quia virtus invidiam secum trahit, quamvis et in scientiis doctissimus, et in militaribus expertissimus, difficillime evadere poterat; primo dum Viennam Austriae Kara-Mustafa vezérius obsedisset, et ut se sequatur, Michaeli principi Apaffio imposuisset, tunc primo constituitur substitutus supr. capitaneus sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár; unde dum rediisset, et in anno 1686 Emericus Comes Thököli, ut inimicus patriae cum suis hungaris et certa turcarum manu ad Hunyad conedisset, adversus praefatum hunc Comitem a principe Michaelē Apaffi cum valida siculorum manu expeditus, hunc non solum profligavit, verum et trecentos janicseros in unum cumulum sepeliri curavit. Eodem

anno aeterna memoria dignus Generalis caesareus Fridericus Comes a Veterani, quartirisans in Máramaros, totius patriae supr. commissarium ea dexteritate egit, ut quousque praefatus Generalis vixerat, semper ei charissimus fuerit. Et jam primo post tot labores factus est supr. iudex reg. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklosvár; dum vero anno 1690 Generalis Donatus Comes ab Hejzler, non virtute, sed paucitate suorum ad Törösvár praetenso principi Emerico Thököli cedere debuit, ut fidelitatem regi suo servaret, Coronam profectus, unde quasi per vim a praefato Thökölio extractus, regi tamen fidus manebat, ubi omnia molimina hostis laudatissimo Dno Generali Veterani communicabat; tandem in suspicionem Thökölyi incidens, ad Csík Lázárfalva in diram captivitatem incidit, et in praesentissimo vitae periculo versabatur, nisi fidelissimi servi correspondentionales litteras clam subripuissent. Ex post inter spem vitae et mortis, sub eadem dira captivitate in Valachiam abductus, sperans et spirans, novem mensibus in illa captivitate detinebatur; per gratiam Dei ex illa liberatus et adhuc aliquo tempore in Valachia moratus, clam ad fidelitatem sui regis redivit. Anno tandem 1695 a Transylvaniae Statibus in procancellarium Transylvaniae electus, et ab augustissimo Leopoldo imperatore confirmatus. Vienne nam se contulit, quod officium ea dexteritate gessit 11 annis, ut in diplomate, in quo Comitem ipsum creat, charissimus fuisse praefato augustissimo imperatori videatur, nam merita ipsius longe lateque commemorat; sed vel inde cum laude se gessisse apparet, quod in ultimis annis consilarii thesaurarii que transylvanici honore ipsum condecorat. Verum haec

officia adire non poterat, cum in illo turbatissimo Hungariae et Transylvaniae statu Viennae mortuus sit 6-ta Octobr. anni 1706, aetatis 66, et sepultus apud admodum Rndos Patres S. Augustini de larga manica extra urbem Viennensem. Solitus erat hic bonus Comes dicere, ut caeteris paribus qui vult elevare suam familiam, semper uno gradu se ex altiori conjugem ducat, et uno gradu ascendet, descendet vero eodem gradu, dum se inferiorem duxerit; quod adagium ita observasse lineam hanc Samuelis Comititis video, ut fere omnes principes familiae in Transylvania eidem conjunctae fuerint.

Comes hic Samuel Kálnoki a Comitissa Elisabetha Lázár conjugē suā unicum reliquit filium, Adamum, supr. capitaneum sedium siculicalium Csik, Gyergyó et Kászón, cui nullus in Capitaneatu successit; Deo notum, an succedet aliquando aliquis; qui etiam anno 1719, die 1-ma Julii in peste obdormivit. Reliquit vero filios ex conjugē Maria Mamuka, graeca, Dominicum, Antonium, Thomam, Pium sive Samuelem, Franciscum et Josephum, item filias Justinam, Catharinam et Theresiam. Justina infelici connubio juncta Baroni Sigismundo Jósika de Branyicska, Catharina feliciori Comiti de Lamesande de Salin, caesareo centurioni ex regimine Linevill, Theresia adhuc virgo.

Praefatus C. Samuel Kálnoki a dicta conjugē habuit filias: Sophiam, Annam, Barbaram, Susannam et Agnetem; Sophia nupsit Joanni Boldogfalvi de eadem, quae et in virili sexu defecit, filia superstite Sophia, quae primo nupsit Adamo Mikó de Sögöd, qui sine semine defecit, secundo Joanni Buda. Anna nupsit Francisco Lugosi de Magyar-Peterd, cujus

posterius Ladislaus et Sigismundus Lugosi, filia Elisabetha, quae nupsit Paulo Comiti Consurg. Barbara nupsit Baroni Petro Apor de All-Torja, cujus proles superius saepe nominatae. Susanna, monialis, ingressa monasterium Posonii, disposita Budam, modo Pestinum. Agnes nupsit Bartholomeo Comiti Ferrati, italo ex Neapoli, cujus filii Mathias, Michael.

Quia vero dictum est Petri Kálnoki secundo genitum fuisse Thomam, Thomae hujus filius Benedictus, Benedicti filii: Michael, Ladislaus et Joannes; Michaelis filii a conjuge sua Catharina Damokos, Valentinus, Petrus, Michael, Thomas, reliqui defecerunt; sed Thomae filius Michael, et Joannes, quorum posteritates videbis in deductione familiae Nyujtódiana. Benedicti secundus filius dictum est quod fuerit Ladislaus, cujus filius Volfgangus, Tabulae Reg. assessor, cujus filius Josephus, cujus filia Theresia, consors Ladislai Kendeffi. Filia vero dicti Volfgangi Kálnoki Eva, quae nupsit Josepho L. Baroni a Farmetin ex Foro Julio. Benedicti tertius filius Joannes, duxerat in uxorem Catharinam Apor, quae jacet in templo Fel-Torjensi, ut apparet ex inscriptione; sed defecit.

Posthuma gloria familiae Thomoriana.

Quia vidisti, Lector, superius, quod haec humillima familia Aporiana etiam suam originem ducat a Laurentio Thomori, quae incluta familia ultimo defecit in Anna Thomori, prius conjuge Stephani Cseffi, exposit Sigismundi Hatvani: ingratus essem,

si hujus familiae meae saltem memoriam posteris non relinquerem.

Notus est ex historiis Paulus Thomori, archiepiscopus Colocensis et Bácsiensis ecclesiarum canonicè unitarum, et banus Severiensis sive Syrmien-sis, quem quidem aliqui tristissimae, nec satis ab Ungaris deplorandae cladis Mohácsianae authorem scribunt, excusant alii, et certo, Lector benevole, evolve decreta Ludovici II, pervolve historias, considera regnante Ludovico II tempora, videbis non solum Cibinii in Transylvania Islebiensis doctoris tubam tristissimum classicum sonuisse, ut apparet ex litteris admonitoriis ejusdem Ludovici II ad Cibi-nienses datis, sed etiam per totam Hungariam quasi bellum adversus magnam nostram Matrem et haere-ditariam Dominam Mariam promulgasse, ut constat ex decretis ejusdem Ludovici II, et quidem ex consti-tutionibus Budensis Diaetae anni 1523 art. 54.

Utinam bonus rex Ludovicus non solum hanc legem sanxisset, sed imitatus fuisset gloriosum Hun-gariae regem Mathiam Corvinum, praedecessorem patris sui, a quo dum Joannis Huseii asseclae audientiam impetrassent, petiissentque ut verbum Dei (ut ipsi loquebantur) liceret eisdem seminare in regno Hungariae, interrogati a rege, num semen quod seminare velent, simile esset illi, quod S. rex Stephanus, Ladislaus et reliqui seminarunt? respondentibus illis, quod purius sit illo, inquit rex: „si purius, certo excrescet“, et subito extra Budam una cum libris vivos sepeliri curavit; unde factum, quod vivente glorioso rege Mathia similis farinae homines Ungariam tentare ausi non fuerint. Ita de schismate Hungariae Florimundus Remundus.

Certo si, inquam, hunc regem fuisset secutus Ludovicus, nunquam tot calamitates quae secutae sunt, Hungariam lacerassent, hinc est quod recesserimus a testamento patris nostri et apostoli Sancti protoregis Stephani, Decreti ejusdem I. cap. 1. c. 2. et c. 3, item testamenti ejusdem conditione, in quo magnae suae matri Mariae suam legat Hungariam ab omnibus posteris semper colendae. Ne mireris ergo, si accidit id, quod in S. Emerico omnibus nobis praedixit ejusdem Decreti I praefatione. Secunda ratio: irati numinis vindictam considera; qui enim non honorat matrem, inhonorat filium, nec est consilium adversus Dominum. Tertio: sub ipso saeculo V a morte divi regis videtur ac si advenisset fatalis periodus Hungariae; nam sub Uladislao II disciplina militaris sensim defecit, licentia magnatum crevit, oppressio pauperum dominata est, ita, ut si recto corde illa tempora consideraveris, tempora Ludovici II non nisi ultimam ruinam minantia experieris. Non ergo Thomoraeo, sed praedictis rationibus lacrymarum imbre nunquam abstergendam cladem Mohácsianam adscribe, qui omnibus excusationibus adhibitis, invitus belli dux creatus fuit, alias, ut omnes notant, vir religiosissimus, purae et sanctae vitae, maximae et in bellicis experientiae. Nonne praecedenti anno ita deleverat turcarum exercitum, ut qui cladis nuntium Sultano referret superstitem permiserit neminem? Sed et aliqui humili loco natum eundem scribunt; sed forte non noverunt familiam illius. Ex qua familia fuerit vero, et quae familiae descendunt ab hac antiqua familia, paucis describam, ut ex Capitulo Carolinensi et Conventu de Colos Monostra excepi.

Et quamvis hanc inclytam familiam ante Ula-

dislai II tempora de nomine deducere non valeam, constat tamen ex ejusdem Úladislai II nova donatione Stephano Thomori data, Budae in festo Beatae Barbarae Virginis anno Dni 1514, super Csúcs, Galacz, Gabod, Gese, Kövesd, jam hanc inclytam familiam pridem ante Uladislai tempora exstitisse. Nam in eadem Donatione clare sic habet: Litteras etiam et litteralia instrumenta sufficientia superinde habuisse, sed tempore praeteritae insurrectionis rusticorum et malefactorum inter alias suas res direptas et depraedatas; ex quibus clare constat, jam ante Uladislai tempora possedissee praefatas possessiones Thomorios. Sed jam ad rem.

Dictum est de Paulo Thomori, cujus pater Stephani Thomori patruelis erat et Pestini habitabat; Stephanus Thomori vero Vice Vajvoda Transylvanus et Vice Comes Siculorum, qui et Tökös et Magnus scribitur, habuit duos fratres carnales natu minores: Stephanum, saecularis, et Sigismundum, ecclesiastici ordinis, Praepositum scilicet Thermarum superiorum Budensium ac Custodem et Canonicum Albensis Transylvaniae ac Ssmae Regiae Mattis secretarium, qui defecerunt. Dictus Stephanus Thomori sex proles habuit: Catharinam, Margaretham, Georgium, Aegidium, Blasium et Demetrium de Szücsák ex conjugē sua legitima Helena Mike; scripsi legitima, nam prima, Margaretha Majláth, pro illegitima est habita.

Demetrius habuit has proles: Joannem, Nicolaum, Paulum, Stephanum et Michaelē, item filiam Elisabetham et Annam.

Nicolaus cum rege Joanne I de Zápolya, dum Ferdinandus I imperator incluso rege obsedisset Bu-

dam anno 1530, penes regem fidelissime se gessit, pro qua fidelitate donavit ipsi pagum Fejérd, in qua donatione fidelitatem et fidelia servitia abunde commendat rex Joannes, cui charissimus erat, nam etiam Budae penes regem mortuus est. Hic est fundator primus templi Kövesdiensis, cujus nomen et insigne super tabernaculum et hodie videtur.

Nicolai hujus filius Laurentius, cujus filiae Petronella et Anna; Anna, ut superius notavi, prius consors Stephani Cseffi de Noszoly, ex post Sigismundi Hatvani; Petronella, sicut saepe dictum est, prius consors Nicolai Mikó de Bodok, secundo Stephani Imecs de Nyujtód, cujus filia Juditha, cujus filius Joannes Apor cum fratribus et sororibus superius nominatis. Joannis Apor filius Baro Petrus, Baronis Petri filii Josephus, Joannes et Ladislaus, filiae Susanna et Anna. Susanna, ut saepe notatum est, consors Comitis Ioannis Haller, sine semine defecit.

Sed quot inclytae familiae ingradientur in hanc familiam Thomorianam, in gratiam eorundem qui in sanguine majorum gloriantur, brevissime appono.

Stephani ergo Thomori Vice Vajvodae filia major et prima Catharina, quae nupsit Paulo Décsei, quae defecit. Secunda Margaretha, quae nupsit Francisco Baládffi de Csapó, cujus filia Sara, consors Petri Baranyi, cujus filia Elisabetha, consors Joannis Mohai, cujus filii: Volfgangus, qui defecit, Ladislaus et Joannes. Dictae Margarethae Thomori filii: Michael et Sigismundus Baládffi, Michaelis filiae: prima Magdalena, consors Laurentii Tétei, cujus filius Balthasar Tétei; secunda filia consors Joannis Füzi, cujus nomen non invenio, quae plures superstites reliquit, quorum aequae nomina non invenio. Sigismundi Ba-

ládffi filia Margaretha, consors Joannis Váradi, cujus proles Sigismundus, Stephanus et Gabriel.

Tertia proles Stephani Thomori vocabatur Georgius, cujus rursum filius Georgius, cujus filius ex Anna Cseh, consorte sua, Stephanus, cujus filia Anna, prius consors Fabiani Viczei, deinde Andreae Komáromi. Filius vero hujus Stephani Thomori junioris Joannes, sed omnes defecerunt.

Dicti Georgii Thomori senioris filia Clara, consors Wolfgangi Siger, cujus filia Anna, consors Georgii Geréb de Fiádfalva, cujus filius Andreas Geréb, capitaneus, sed defecit, filia Anna Geréb, consors Pauli Ugron, cujus filius Joannes, cujus proles: Franciscus, Helena, Barbara, Sophia, Daniel. Item dictae Annae Geréb proles sunt: Andreas, Thomas, qui defecit, Stephanus, Michael et Elisabetha Ugron, consors Joannis Horváth (possessorum quondam pagi Csúcs) cujus filii: Moyses et Daniel.

Secundus filius dicti Stephani Vice Vajvodae Aegidius, tertius Blasius, uterque defecerunt. Quartus Demetrius Thomori de Szucsák, cujus proles: Nicolaus, Paulus, Stephanus, Michael, Elisabetha et Anna. Nicolai genealogia deducta est superius in Laurentio et Petronella Thomori, reliquorum vero posteritates non inveni praeter Pauli et Elisabethae. A Paulo vero descendunt familiae C. Nicolai Bercsényi, Joannis Lázár de Gyalakuta, item Ficsor et Szarka de Kövesd; Elisabetha vero nups erat prius Georgio Cseh, et cum hoc marito genuit Annam, consortem Andreae Sarló, secundo vero nupsit Stephano Ugocsi, cujus filius Thomas, cujus filius Demetrius Ugocsi, sed defecit.

Patruelis Laurentii Thomori Christophorus Thomori, cujus uxor Sophia Kozárvári, cujus filia Margaretha, consors Christophori Baládffi, cujus filia Barbara Baládffi, consors Gabrielis Pekri, cujus filius Franciscus Pekri de Kutýfalva, Supr. Comes Cottus Albensis Transylvaniae.

Parcite, inclytæ cognatæ familiae, quod vos ad modernos usque superstites deducere non valeam, cum litteras vestras authenticas prae manibus non habeam, ex his tamen unusquisque vestrum ad vosmet ipsos deducere facile poterit.

Ne pereat etiam gloriosa memoria Andreae Thomori, armigeri gloriosissimi herois Stephani Losonczy, fortissimi propugnatoris arcis Tömösváriensis; perfidia enim turcica circumventus Losonczius, antequam capite laesus latusque percussus semianimis concidisset, per Achomatemque capite minutus fuisset, in conspectu heri praeclarissimus juvenis equo deturbatus fuit; ita pater Franciscus Csernovics Soc. Jesu in Propugnaculo Reip. Christianae cap. II. §. 3.

Baronum Josephi, Joannis, Ladislai et Annae Apor per parentes Baronem Petrum Apor et Comitissam Barbaram Kálnoki sanguine junctæ familiae in communi; etquidem per Baronem Petrum Apor, quæ superius notatæ non sint.

Ut posteritas mea plenam suorum consanguineorum et familiae notitiam habeat, placuit paucis describere, tam ex parte mea, quam matris earum Barbaræ Kálnoki, in quantum et ego indagare potui,

usque saltem ad quartum gradum vel quod paucis excedit.

Ingrediuntur ergo sic: Donáthiana de Nyujtód, per Helenam Donáth, conjugem Mathiae Imecs, cujus filius Stephanus Imecs, filia Barbara Imecs.

Stephani Imecs proles ex Petronella Thomori jam superius abunde descriptae sunt.

Barbara Imecs nupsit Sigismundo Mikes de Zabola, principis Georgii Rákóczi Consiliario et supr. stabuli praefecto, quae genuit quidem proles plures quae alibi describentur, sed quia pleraeque defecerunt, plures non memoro, nisi Michaellem Mikes, totius patriae Generalem, qui apud Rempublicam Venetam tam politicis quam militaribus operam dabat. Filius ergo superstes Barbarae Imecs Clemens Mikes, principis Apaffi consiliarius, Statuum praesidens, protonotarius, prius sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár supr. Capitaneus, ex post Cottus Albensis Transylvaniae supr. Comes, nec non incl. nationis siculicae Generalis; cujus filius, ex conjugue sua Susanna Kálnoki, Comes Michael Mikes, prius quidem incl. Cottus Szolnok, nec non sedium siculicalium Kézdi, Sepsi et Orbai ut et Miklósvár Capitaneus utrobique supremus, ex post Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus; cujus filii ex Drusiana Bethlen Comites Franciscus et Stephanus Mikes. Francisci filius Antonius, filia Maria a Comitissa Catharina Eszterházi. Stephanus duxit in uxorem Rosaliam Petki, Comitidis Davidis Petki filiam, cujus filius Michael.

Dictae Barbarae Imecs prima filia Anna, nupsit Stephano Székely, cujus filia Eva Székely, quae nupsit Michaeli Henter de Sepsi Sz.-Ivány, cujus filii

Alexius, Clemens (Clementis filius Michael), David, Joannes; Joannis filia Maria.

Dictae Evae Székely filiae: Clara, consors Samuelis Torma de Csicsó-Keresztur; secunda ejusdem filia Christina, consors Clementis Béli de Uzon.

Secunda filia dictae Barbarae Imecs Helena, quae nupsit Ioanni Thordai de Somolyom, cujus filius iterum Joannes, cujus filii: Nicolaus, qui sine semine defecit, Franciscus, cujus filius Franciscus et Joannes Thordai; filiae: prima Maria, quae nupsit Petro Száva. cujus filius Petrus Száva, secunda filia ejusdem Joannis Thordai Barbara, quae nupsit Michaeli Dósa de Makfalva, cujus filius Michael Dósa. Filiae vero hujus junioris Joannis Thordai: prima, Christina, consors Emerici Miske, secunda Maria, tertia Anna, quarta Clara, nobiles.

Ingrediuntur hanc familiam per lineam Nicolai Mikó de Bodok, et quidem filiam ejusdem: familia Nemesiana de Hidvég, per matrem nempe Joannis Nemes, consiliarii principis Apaffi et trium sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár supr. capitanei, qui duas uxores habuit; de secunda dicitur alibi, a prima conjuge ejusdem Joannis Nemes filii: Joannes, Gabriel et Georgius, qui praeter Gabrielem omnes defecerunt; Gabrielis vero filiae: Susanna, consors Michaelis Eperjesi, et Christina, consors Francisci Macskási de Tinkova.

Nota autem, Lector, quod hae inclytæ duae familiae, Mikó et Nemes jam fuerint nobiles 1474, ut liquet in litteris exceptis ex capitulo, ubi fit mentio Laurentii Mikó et Michaelis Nemes de Hidvég.

Item per filiam ejusdem Nicolai Mikó Elisabetham, Michaelis Maurer de Űrmös conjugem,

Franciscus , Gabriel , Stephanus Maurer , ut et Josephus.

Per Annam, ejusdem Nicolai Mikó filiam, conjugem Petri Daczó, Ladislaus et Joannes Daczó, sed defecerunt.

Per tertiam filiam ejusdem Nicolai Mikó Helenam, Valentini Székely conjugem, Balthasar, Franciscus, Michael et Nicolaus Székely de Kilyén; Balthasaris filius Ladislaus, Francisci Michael, Michaelis senioris Alexius. Nicolaus in virili semine defecit.

Item ingreditur Franciscus Baranyai de Maros-Jára, Michaelis filius a conjuge sua Petronella Boér, filia Francisci Boér senioris de Kövesd, de quo actum in deductione familiae Báthorianae.

Item ingrediuntur familiae: Vajnaiana, per Catharinam Vajna, conjugem Joannis Apor, filiam vero Gabrielis Vajna de Páva (de familia Vajna vide Joannem Bethlenium, fol. 78.), item Czirjákiana, per Helenam Czirják, conjugem Gabrielis Vajna, quae familia possedit integrum pagum Damokosfalva, sed sicut familia Czirjákiana in virili semine defecit, ita pago solum nomen remansit. Vide superius in Const. nationis Siculicae ad annum 1506.

Item per Petri Apor, fratris Alexandri Apor, lineam sequentes familiae ingrediuntur: Petri Apor ergo filia Margaretha, quae nupsit Stephano Réthi, quae habuit duas filias, primam Annam, quae nupsit Stephano Thuri, cujus filius Franciscus; Francisci, ab Anna Kálnoki, Volfgangi Kálnoki sorore, filius Ladislaus. Ladislai filii ab Anna Imecs: Franciscus, Ladislaus et Alexander Thuri. Secundo dicta Anna Réthi nupsit Michaeli Mihálcz, cujus filius Nicolaus, cujus filii, a Barbara Sándor: Michael, Stephanus,

Petrus et Blasius Mihálcz. Michaelis filii ab Eva Mikó: Franciscus, Alexius et Michael Mihálcz, filia Helena. Cujus familiae Mihálcz facit mentionem Pater Samuel Timon Soc. Jesu sub Carolo I rege Hungariae in Synopsi chronologiae Hungariae ad annum 1326.

Secunda filia Stephani Réthi Catharina, qui nupsit Nicolao Tompa, cujus filius iterum Nicolaus; Nicolai filii: Gasparus, a tartaris caesus anno 1690, Nicolaus et Joannes; Nicolai filii: Gasparus, Stephanus, Ladislaus. Joannis Tompa filius Joannes. De hac familia Tompa aliquoties meminit Istvánffius.

Nicolai Tompa a Catharina Réthi filia Helena, consors Francisci Ugron, Tabulae Reg. assessoris; cujus filii: Andreas, Thomas et Joannes; Andreae filius Franciscus. Thomas coelebs mansit. Joannis filii: Joannes, Stephanus, Josephus et Andreas. Filiae vero Helenae Tompa a Francisco Ugron: Sophia, primo conjunx Georgii Bánffi; a Georgio Bánffi ejusdem filia Elisabetha, consors Stephani Maurer de Űrmös. Filius Stephani Maurer Franciscus, filiae: Barbara, Susanna, Anna et Julia Maurer. Secundo haec Sophia Ugron nupsit Francisco Sarmasági de Kövesd, a quo habet filiam Christinam Sarmasági, prius conjugem Adami Henter, cujus filius Adamus Henter; secundo Christina Sarmasági nupsit Michaeli Kálnoki, cujus proles alibi descriptae sunt.

Secunda filia Helenae Tompa Anna, consors Georgii Torma de Csicsó-Keresztur, cujus filiae: prima Maria, consors Nicolai Náprádi, secunda Helena, consors Petri Rácz, tertia Clara, consors Ladislai Henter, quarta Catharina, consors Francisci Bialis ex Genua oriundi, nunc vero in Ilyefalva habitantis.

Tertia ejusdem Helenae Tompa filia Barbara, consors Mathiae Nemes de Hidvég, cujus filii Adamus et Georgius.

Sanguine juncti per Comitissam Barbaram Kálnoki.

Item per lineam matris, Barbarae Kálnoki, ingrediuntur hanc familiam mearum prolium, et quidem per sorores germanas Comitis Samuelis Kálnoki, Catharinam et Susannam:

Catharina enim primo nupserat Baroni Stephano Kún, haereditario arcis Rosály, qui sine semine defecit, secundo Ladislao comiti Csáki de Keresztzeg, Sacrae Caes. Regiaeque catholicae Mattis Generali, cujus filii: Gabriel, Stephanus et Nicolaus. Nicolaus sine semine defecit, Gabrielis filia ex Baronissa Sophia Gyulaffi Susanna, secunda conjunx Comitis Francisci Lázár de Szárhegy. Comitis Stephani Csáki filii: Sigismundus et Emericus.

Susanna Kálnoki nupsit Clementi Mikes de Zabola, cujus posteritas superius descripta est.

Per Annam vero Béldi, germanam sororem Pauli Béldi, totius Transylvaniae Generalis, filii vero Clementis Béldi, qui alibi descriptus, tota familia Béldiana, et praeprimis ex Susanna Béldi, filia dicti Pauli Béldi, consorte Pauli L. B. Veselényi de Hadad: Stephanus L. B. Veselényi, Sacrae Caes. Reg.que catholicae Mattis exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus, Statuum praesidens, incl. Cottus Szolnok supr. Comes; cujus filii ex Comitissa Catharina Bánffi, Comitis Georgij Bánffi, Gubernatoris Transylvaniae, filia: Franciscus

et Stephanus, filiae vero: prima Maria, consors L. B. Moysis Jósika de Branyicska, secunda filia Susanna, consors Adami S. Rom. Imp. Comititis Teleki.

Rursum per Catharinam Béldi, germanam sororem Annae Béldi, conjugem vero Francisci Keresztesi de Nagy-Megyer, cujus filius erat Samuel, hujus rursum Franciscus, sed defecerunt; filiae vero Catharinae Béldi a Francisco Keresztesi: prima Juditha, consors Thomae Nemes, cujus filius Thomas, cujus filius Franciscus Nemes de Hidvég. Eadem secundo consors Michaelis Maxai, cujus filia Barbara, consors Sigismundi Balog, cujus filii: Josephus, Adamus et David Balog. Tertio eadem conjunx Volfgangi Kálnoki, cujus filius Josephus, filia Eva; Josephi filia Theresia, consors Ladislai Kendeffi. Filia dicti Volfgangi Kálnoki Eva, nupsit Josepho L. B. Farmatin ex Foro Julio, caesareo centurioni.

Item Francisci Keresztesi a Catharina Béldi filiae: Susanna, Petri Szilvási conjunx, Catharina, consors Stephani Váradi, item ejusdem filia Elisabetha, consors Stephani Nádudvari.

Secunda soror Annae Béldi germana Juditha Béldi, consors Francisci Daniel de Vargyas, cujus proles ex Sophia Kemény, filia Petri Kemény: Michael, Franciscus, Petrus et Stephanus Daniel. Michael sub revolutione Rákócziana mansit in conflictu ad Claudiopolim, cujus filius ex Sophia Kún, filia Nicolai Kún de Osdola, Stephanus.

Filiae vero dicti Stephani Daniel senioris: Juditha, Clara et Susanna. Juditha consors Ladislai Bánffi de Losoncz, cujus filii, Franciscus, Balthasar.

Clara consors Samuelis Bíró de Homorod-Sz.-Márton, cujus filii: Samuel et Ladislaus, filia Clara.

Susanna nupserat Balthasari Horváth Petrityevith, sed sine semine defecit.

Dicti vero Francisci Daniel, a conjuge sua Sara 'Súki, filii: Franciscus, Georgius et Ladislaus, filiae Clara et Juditha.

Petri vero Daniel a conjuge sua Helena Sárosi, Joannis Sárosi, Reg. Gubernii consiliarii, regni protonotarii, filia Sophia (anno 1729 nupsit Comiti Joanni Haller, et fuit tertia ipsius conjunx), Anna, Julia, Christina.

Item Stephani Daniel a conjuge sua Comitissa Polixena Pekri, Comitis Laurentii Pekri, Cottus Albensis Transylvaniae Comitis et Sedis Udvarhely capitanei utrobique supremi, filia, filii: Ludovicus et Stephanus, filia Polixena.

Sanguine juncti per Margaretham Bánffi, conjugem Clementis Béldi, filiam vero Balthasaris Bánffi de Losoncz.

Truncus Balthasar Bánffi, cujus uxor Barbara Pátóczi, qui habuit quinque filias; prima: Anna, prius consors Benedicti Mindszenti, cujus filia Christina, consors Comitis Stephani Csáki, quae defecit. Filius ejusdem Annae Bánffi Gabriel Mindszenti, cujus filia Elisabetha, consors Gabrielis de Kapi, cujus filii: Gabriel, Joannes et Georgius, filiae: Elisabetha et Christina Kapi. Gabriel, factus religiosus Soc. Jesu, vir magnae sanctitatis et doctrinae, defecit; Joannis filius Joannes, filia Theresia Kapi, consors Lazari Apor de All-Torja, cujus proles alibi descriptae sunt. Elisabetha, filia Gabrielis Kapi senioris, primo consors Alexii de

Bethlen, secundo Joannis Toldalagi de Ikland, cujus filius Georgius. Dicta Elisabetha Kapi tertio nupsit Gabrieli Jabroccki, cujus filius Gabriel. Christina Kapi, prius consors Comitis Stephani Pethő, ex post monialis S. Clarae Tyrnaviae, et defecit.

Dicta Anna Bánffi secundo nupsit Balthasari Veselényi, cujus filia Catharina, consors Baronis Francisci Kornis, cujus filia Catharina Kornis, consors Baronis Joannis Haller superius laudati, cujus filii Stephanus et Josephus; Josephus defecit, Stephani filii Comites Gabriel, Joannes et Ladislaua. Gabrielis filii a Comitissa Clara Károlyi, excellmi Dni Comitis Alexandri Károlyi, Generalis Cavalleriae cum reliquis titt. filia: Stephanus, Ladislaus, Gabriel et Alexander; filiae: Juliana et Caecilia. Filius Ladislai a Comitissa Catharina Bethlen, filia Comitis Samuelis Bethlen, Paulus, filia Barbara.

Dictus Stephanus Haller senior duas habuit filias: Barbaram, quae primo nupsit C. Stephano Csáki, quae ab hoc marito nullas proles suscepit, secundo nupsit Baroni Joanni Bornemisza de Kásson, cancellario aulico-transylvanico et Reg. Guvernii consiliario, cujus proles: Josephus, Paulus, Carolus.

Dictus Stephanus Haller secundam filiam habuit Catharinam, quae nupsit Sigismundo Csáki, cujus filiae Barbara et Catharina.

Sed et praefati Joannis Haller filiae: prima Christina, consors Joannis Petki, genitoris moderni et superius cum prolibus declarati Comitis Davidis Petki; secunda filia Eva Haller, facta monialis S. Clarae, et cum fama sanctitatis vitae obiit Posonii. Tertia filia dicti Joannis Haller senioris Anna, con-

sors Ladislai Gyulai de Várad, de cujus prolibus superius satis dictum.

Secunda filia dictae Catharinae Veselényi Anna, consors Baronis Gabrielis Perényi; tertia filia Christina, consors Baronis Francisci Perényi.

Filius dicti Baronis Francisci Kornis a Catharina Veselényi Baro Casparus Kornis, cujus filius a Comitissa Maria Csáki, filia Comitis Stephani Csáki senioris, Curiae Reg. in Ungaria Judicis, C. Sigismundus Kornis, Excellmus Transylvaniae Gubernator, prius quidem Cancellarius aulico-transylvanicus, praecedenter autem Deputationis Transylvanicae consiliarius.

Secundus filius dicti B. Caspari Kornis a Catharina Veselényi Comes Stephanus Kornis, primo Deputationis Transylvanicae consiliarius, secundo Comes supr. Cottus de Kükellő, tertio Comes Cottus Albensis Transylvaniae, modo vero Exc. Reg. Gubernii consiliarius intimus, et simul Generalis patriae Commissarius.

Dicti vero Exllmi Dni Gubernatoris filii: Comites Franciscus et Sigismundus Kornis, filia Susanna, quae nupsit Comiti Ladislao Lázár, cujus filius Antonius.

Comitis vero Stephani Kornis filius Comes Antonius, filiae Eva et Christina.

Dicti Baronis Caspari Kornis vero filiae: Christina, monialis S. Ursulae Posonii, secunda Anna, consors Illrmi Dni Baronis Georgii Haller, Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarii, cujus filii: Franciscus, Paulus et Georgius; filiae vero ejusdem B. Georgii Haller: prima Eva, consors Illrmi Dni Comitis Ladislai Gyulaffi de Rátóth, supr. Judicis Reg. sedis Udvarhely; secunda filia Barbara Haller, con-

sors Spect. Dni Josephi Boér de Kövesd, de quo dictum superius.

Tertia ejusdem Dni Baronis Caspari Kornis filia erat Margaretha, consors Illrmi Dni Francisci Lázár de Szárhegy, cujus filius Antonius, sed, sicut superius notavi, defecit.

Dicti Balthasaris Bánffi filia secunda Margaretha, prius consors Georgii Bethlen, cujus filia Christina, consors Georgii Horváth, cujus filius Sigismundus, cujus filia nupsit Sigismundo Balogh; secunda filia Sigismundi Horváth Catharina, consors Joannis Alsó.

Dicta Margaretha Bánffi secundo nupsit Clementi Béldi de Uzon, cujus prima filia a Clemente Béldi Catharina, consors Francisci Keresztesi, cujus filius Samuel, cujus filius Franciscus, sed defecerunt; filia vero dicti Francisci Keresztesi prima . . . consors Petri Szilvási, cujus filius Joannes, cujus filius Balthasar Szilvási, qui duxit in uxorem Barbaram, filiam Comitis Michaelis Bethlen. Secunda filia Francisci Keresztesi . . . consors Michaelis Maxai, quae tres maritos habuit, ut superius vidisti. Tertia filia ejusdem Francisci Keresztesi . . . consors Stephani Nádudvari, cujus filii: Gabriel, Nicolaus et Stephanus, filia Margaretha.

Genealogiam descendentem a Clemente Béldi et Margaretha Bánffi superius et inferius adnotatam videre poteris in conjunctione domus Aporianae.

Tertia filia dicti Balthasari Bánffi erat consors Stephani Huszár, cujus filius primus Petrus, et in utroque sexu defecit; filia Margaretha, prius consors Michaelis Toldalagi, cujus filii: Joannes et Michael. Secundo nupsit Balthasari Macskási. Secundus filius

dicti Stephani Huszár Mathias, cujus filia Barbara, prius consors Georgii Torma, cujus filii: Samuel, Stephanus et Georgius, filia prima Eva, quae nupsit primo Paulo Mikes de Zágón, cujus filius Clemens, qui est in exilio cum Francisco Principe Rákóczi; secundo nupsit Francisco Boér de Kövesd, incl. Cottus de Karaszna Comiti et arcis Somlyó supr. capitaneo, cujus filius Josephus Boér, qui duxit Barbaram Haller, ut supra.

Secunda filia dicti Georgii Torma et Barbarae Huszár Barbara, quae nupsit Stephano L. B. Haller, exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliario, Statuum praesidenti et Cottus Tordensis supr. Comiti, cujus filii ex Barbara Torma: Comites Joannes et Ladislaus Haller. Stephani filia prima Barbara, ut notavi, prius consors Comitis Stephani Csáki, secundo Baronis Joannis Bornemisza de Kászón; secunda filia Catharina, ut dixi, Comitis Sigismundi Csáki consors.

Dicta Barbara Huszár, mortuo primo marito Georgio Torma, secundo nupsit Joanni Nemes de Hidvég, cujus titulum alibi videre poteris, cujus filii Dominicus et Mathias, ut supra.

Sed dictus Stephanus Huszár habuit etiam filiam Margaretham dictam, conjugem Michaelis Veres, cujus filia Barbara, prius consors Petri Szeredai, cujus filii Stephanus et Michael; secundo vero haec Barbara Veres nupsit Comiti Stephano Apor, et fuit prima ipsius uxor, nam tres habuit uxores, hanc Barbaram Veres, secundo Sophiam Csintalan, a qua filius ejusdem Ladislaus, et quatuor annorum mortuus, tertiam Susannam Farkas, et sine semine defecit. Secunda filia Margaretha Huszár, Décseiana.

Quarta filia dicti Balthasaris Bánffi prius con-

sors Volfgangi Alia, cujus filius Samuel, cujus filia Maria Alia, consors Simonis Kemény, et in utroque sexu defecit.

Quinta filia dicti Balthasaris Bánffi, prius consors Sigismundi Borsovai, cujus filia Elisabetha, consors Sigismundi Sükösd, secundo consors Volfgangi Petki, quae defecit in utroque sexu.

Secundo haec quinta filia Balthasaris Bánffi nupsit Georgio Szikszai, cujus filia consors Joannis Thordai, cujus filius Sigismundus Thordai, cujus filia consors Francisci Vitéz, cujus filius Andreas, cujus filius Georgius Vitéz, qui duxit in uxorem Susannam Korda. Franciscus Vitéz habuit quidem plures filias, sed ad propositum nostrum inter reliquas Claram, consortem Joannis Kapi, cujus filius Joannes, filia Theresia Kapi, consors Lazari Apor de All-Torja, cum prolibus alibi notatis.

Filius vero Georgii Szikszai Sigismundus Szikszai, cujus filius Georgius; ejusdem Georgii Szikszai filia Susanna, consors Sigismundi Váradi. Secundo vero haec Susanna Szikszai nupsit Ladislao Szalánczi, cujus filius Stephanus Szalánczi de Csapó.

Sanguine juncti per Annam Béldi, consortem Stephani Kálnoki, filiam vero Clementis Béldi.

Truncus: Albertus Béldi, cujus filia Christina, filius Paulus; Christina nupsit Lucae Burcsa, sed, ut superius vidisti, solus mutavit nomen, nam revera fuit Apor; hujus filia Clara, consors superius dicti Petri Kálnoki, quae familia abunde descripta est.

Alberti Béldi filium fuisse Paulum vidimus, Pauli filius Franciscus, Francisci Joannes, Joannis Clemens; filia Elisabetha. Etquidem Clementis Béldi posteritates in linea foeminea copiose notavi, Clementis vero filii a Margaretha Bánffi, Joannes, qui defecit, et Paulus; Pauli filii a Susanna Vitéz, Clemens, David et Josephus, defecerunt, Clementis vero filii a Christina Kereszturi, prius conjuge Stephani Lázár, genitoris Comitís Francisci Lázár, Paulus et Joannes; mortua vero Keresztúriana, Clemens Béldi duxit in uxorem Christinam Henter, filiam Michaelis Henter de Sepsi Sz.-Ivány, de qua superius; ex qua habet filios: Michaellem, Josephum et Ladislaum, filiam Claram.

Joannis Béldi, ut vidisti, filia Elisabetha, consors Cosmae Horváth.

Sed dicti Pauli Béldi ex conjuge sua Susanna Vitéz filia Susanna Béldi, consors Baronis Pauli Vese-lényi, cujus filius Stephanus L. Baro Veselényi, cujus titulus alibi descriptus est; cujus filii a Comitissa Catharina Bánffi Franciscus et Stephanus; filiae vero: Maria, consors Moysis L. Baronis Jósika de Branyicska, et Susanna, consors Adami S. Rom. Imp. Comitís Teleki de Szék.

Sanguine juncti per Saram Bethlen, conjugem Stephani Károlyi, filiam vero Wolfgangi Bethlen.

Cum notatum sit Saram Bethlen conjugem fuisse Stephani Károlyi, et per hanc quae familiae ingrediuntur, notatu dignum est, et quidem ex fundamento.

Truncus: Nicolaus Sükösd, consors ejus Anna Baládffi, qui duas habuit filias, Catharinam et Annam; Catharina nupsit Joanni Bethlen, cujus filius Volfgangus Bethlen, Volfgangi filius Joannes, Joannis Comes Nicolaus, Paulus et Comes Samuel Bethlen; Comitis Nicolai filius ab Helena Kún, C. Michael Bethlen, a Julia Rhédai C. Josephus Bethlen, Michaelis filius Stephanus, filia Barbara, consors Balthasaris Szilvási, secunda filia Christina, consors Baronis Dusertin.

Pauli Bethlen filius Comes Joannes Bethlen, filia, consors Andreae Vitéz, cujus filius Georgius Vitéz; secunda filia Elisabetha, quae defecit.

Pauli Bethlen filius Joannes; Comitis Joannis Bethlen proles: filius David, filiae: prima Eva, consors Samuelis Vay, secunda Juditha, consors Ladislai Vas de Czege, tertia Sara in capillis, quarta Clara, consors Pauli Mikó de Bodok, quinta Drusiana, consors Francisci Nemes de Hidvég.

Comitis Samuelis Bethlen filii: Georgius, Adamus, Samuel, Emericus et Volfgangus Bethlen, filia Catharina Bethlen, prius consors Comitis Ladislai Haller, cujus filius Paulus, filia Barbara; secundo nupsit Josepho Comiti Teleki.

Dicti Volfgangi Bethlen filia, soror autem Joannis Bethlen, Sara, quae prius nupserat Thomae Sükösd, exposit Stephano Károlyi, de quo superius; cujus filia Catharina, consors Joannis Kálnoki, avi Comitis Samuelis Kálnoki, de quibus abunde scripsi. Sed dictus Stephanus Károlyi habuit etiam filiam Sophiam, et filium Stephanum, sed defecerunt; ita ut modo tota familia Károlyiana contineatur in prolibus

Stephani Kálnoki, nempe in Comitibus Samuelis Kálnoki superius descriptis, Catharinae et Susannae Kálnoki superius declaratis.

Secunda filia Nikolai Sükösd, Anna, nupsit Francisco Béldi, cujus filius Joannes, hujus Clemens; Clementis Béldi proles et posteritates saepius abunde descriptae sunt.

Sanguine juncti per familiam Lázarianam in Leonardo Apaffi, et quidem per Leonardum Apaffi tanquam truncum (de quo in Constitutionibus nationis Siculicae anni 1506, ut supra).

Leonardus Apaffi habuit has proles: Elisabetham, Ladislaum, Nicolaum, Georgium et Claram, de quibus ordine.

Elisabetha nupsit Leonardo Barabási.

Ladislai filia Drusiana, consors Ladislai Károlyi, cujus filia Anna, consors Nicolai Erdélyi; Nicolai filius Franciscus defecit.

Georgii filiae: Euphemia, consors Joannis Sigér, Clara, consors Joannis Lázár, cujus filiae Margaretha et Catharina; Margaretha Lázár consors Joannis Petki de Ders, cujus filia Anna, consors Valentini Kálnoki, de qua in deductione familiae Kálnokianae satis scripsimus.

Sed quia diximus Drusianam Kálnoki secundo fuisse conjugem Thomae Bassa, cujus Drusianae a Thoma Bassa filia Helena, consors Stephani Kún senioris de Osdola, cujus filius Lazarus, qui defecit, Nicolaus, cujus filius rursum Nicolaus. Nicolai Kún,

fili: Stephanus et Ladislaus; filia Nicolai Kún senioris Catharina, consors Caspari Kendeffi, cujus filiae: prima Helena, consors Gabrielis Bánffi, secunda Catharina. Nicolai Kún senioris filia Sophia, prius consors Michaelis Daniel de Vargyas, cujus filius Stephanus Daniel; secundo nupsit Joanni Bernáld de Alsó-Csernáton, cujus filius Georgius, filiae Christina et Clara; Christina nupsit Nicolao Mikó de Bodok.

Helenae Bassa a Stephano Kun secundus filius Stephanus Kun, cujus filia a Maria Rhédei, Barbara, consors Comitis Josephi Teleki, cujus filia Christina, consors Adami Toldi.

Filia Helena consors Comitis Nicolai de Bethlen, supr. Cancellarii Transylvaniae, cujus filius Michael, ut supra.

Joannis Lázár a conjuge Clara Apaffi filii: Stephanus et Emericus Lázár; Stephani Lázár filius Andreas, Andreae filius Stephanus, Stephani rursum Stephanus, cujus filia a prima conjuge Catharina Petki, Elisabetha Lázár, consors Comitis Samuelis Kálnoki, cujus proles in deductione familiae Kálnokianae descriptae sunt. A secunda vero conjuge, Christina Keresztúri, ejusdem Stephani Lázár junioris filius Comes Franciscus Lázár, de cujus prolibus superius scriptum est.

Frater Leonardi Apaffi Nicolaus, cujus filius Gregorius, hujus rursum Nicolaus, Nicolai Georgius, Georgii Michael Apaffi, princeps Transylvaniae, prout in deductione familiae Beczianae inferius cum fratribus suis descriptum est.

Quidam Lázár, Magnus dictus, condescendit primo in Csik Sz.-Tamás in bona filiae Silester

Magni dicti; filii hujus, Blasius, venit in Háromszék, cujus filius Petrus, Petri filia Barbara Lázár, prius consors Georgii Daczo, secundo Andreae Apor de All-Torja; item Bernald, de quo familia Bernaldiana. Blasii filius iterum Volfgangus, Volfgangi filia Juditha, uxor Stephani Damokos, de qua alibi.

Joannis Lázár senioris, ut paulo ante vidisti, filius Emericus, hujus filius Joannes, filia Elisabetha, consors Volfgangi Petki, cujus filii Stephanus et Volfgangus Petki. Volfgangus defecit, Stephani filius Joannes, cujus filius Comes David Petki, qui alibi descriptus est.

Secundus filius Lázár Magnus dicti, ut ego opinor, Emericus, Emerici Joannes, qui condescendit in Gyergyó, cujus filius rursum Joannes, qui venit in Gyalakuta, hujus filius Emericus, hujus Georgius, hujus rursum Emericus, Emerici rursum Georgius, nuper incl. sedis Maros supr. judex Reg. cujus filius a Juditha Bethlen, filia Gregorii Bethlen, Joannes Lázár, filiae vero: Maria, consors Comitissae Samuelis Bethlen, secunda Anna, consors Ladislai Korda.

Sanguine juncti per Dominicum Ugron de Csík Sz.-György.

Dominicus Ugron de Csík Sz.-György duas habuit filias; cujus primam filiam duxit Emericus Lázár Magnus dictus de Csicsó; filius Emerici Joannes, Joannis Lázár filia Elisabetha, consors Volfgangi Petki, Elisabethae Lázár filii Stephanus et

Volfgangus, Volfgangus defecit, Stephani Petki filius Joannes, Joannis filius Comes David Petki superius cum prolibus descriptus.

Dominici Ugron secundam filiam duxit Paulus Béldi Magnus dictus, cujus filius Franciscus, Francisci Joannes, Joannis Clemens, Clementis filii: Joannes, defecit, Paulus; Pauli filius Clemens, filia Susanna; utriusque posteritates superius abunde descriptae sunt.

Sanguine juncti per familiam Becz et Daczo.

Videbis, Lector [benevole, in Appendice, quod Dominici Nyujtodi filius fuerit Paulus Damokos, cujus filia Margaretha fuit consors Petri Lázár, cujus filia Barbara, consors prius Georgii Daczo, secundo Andreae Apor; praefati vero Dominici Nyujtodi secundus filius fuit Emericus Becz senior, nam nepos hujus, Emericus defecit. Unde eandem esse familiam Damokosianam et Beczianam clarum est, solum nomen mutarunt.

Hujus Emerici Becz filia fuit consors Stephani Lázár Magnus dicti; praeterea Emerici Becz filiae Clara et Elisabetha; Clarae Becz filius Georgius Andrási, Georgii Andrási filia Margaretha, consors Pauli Antal, cujus filius Emericus Antal.

Elisabetha Becz nupsit Blasio Apor, cujus filius Nicolaus, Nicolai Apor filia Elisabetha Apor, consors Mathiae Kozma, Elisabethae Apor filia Anna Kozma, uxor Balthasaris Székely.

Dictus Emericus Becz habuit duos filios, Paulum et Nicolaum Becz; Pauli filii Emericus et Tho-

mas, defecerunt. Paulus Becz sex filias habuit, cujus prima Catharina Becz, senioris Joannis Béldi consors; Catharinae Becz filius Clemens Béldi, filia Elisabetha Béldi, consors Georgii Horváth; Elisabethae Béldi et Georgii Horváth filia Barbara, consors Stephani Toroczkai.

Secunda filia vero Elisabethae Béldi Anna, consors Principis Acatii Barcsai.

Barbarae Horváth, conjugis Stephani Toroczkai filia Elisabetha Toroczkai, consors Gabrielis Szalánczi; ejusdem Barbarae Horváth secunda filia Juditha, consors Petri Huszár. Gabrielis Szalánczi filius Joannes Szalánczi.

Clementis Béldi filia Catharina, consors Francisci Keresztesi, cujus filii Paulus et Samuel, Samuelis Franciscus, sed defecerunt; filiae Francisci Keresztesi: Susanna, consors Petri Szilvási, item consors Stephani Nádudvari. Secunda filia Clementis Béldi Anna, consors Stephani Kálnoki, cujus filius Comes Samuel Kálnoki, Comitis Samuelis filius Comes Adamus Kálnoki; filiae dicti Samuelis Kálnoki: Sophia, consors Joannis Boldogfalvi, Anna, consors Francisci Lugosi, Barbara, consors Baronis Petri Apor, Susanna, monialis S. Clarae, Agnes, consors Comitis Bartholomei Ferrati. Harum proles in deductione familiae Kálnokianae descriptae sunt.

Iterum Annae Béldi filiae Catharina et Susanna.

Catharina prius consors Stephani Kún Baronis de Rosály, qui defecit, secundo consors Comitis Ladislai Csáki; Catharinae Kálnoki filii Gabriel, Nicolaus et Stephanus Csáki, Gabrielis filia Susanna, secunda consors Comitis Francisci Lázár de Szárhegy, cujus proles superius descriptae sunt. Nicolaus

Csáki sine semine defecit, Stephani filii Comites Sigismundus et Emericus Csáki.

Secunda filia Annae Béldi Susanna Kálnoki, consors Clementis Mikes; Susannae Kálnoki filius Comes Michael Mikes, Comitibus Michaelis Mikes filii Franciscus et Stephanus Mikes, Francisci filius Antonius, filia Maria.

Clementis Béldi tertia filia Juditha, consors Francisci Daniel, cujus filius Stephanus, cujus filii Michael, Franciscus, Petrus et Stephanus, filiae Juditha, Clara et Susanna, sed jam notavimus cum prolibus.

Secunda filia Pauli Becz Martha, consors Ladislai Csomortáni, nominati in Const. nationis Siculicae superius anno 1506; hujus filius Thomas, defecit, filia Catharina, consors Georgii Donáth; Catharinae hujus filiae filius Franciscus Donáth, defecit. Filia vero Martha Becz, consors Petri Mihacsa, Petri Mihacsa filius iterum Petrus Mihacsa, filia Petri Mihacsa consors Pauli Donáth, Pauli Donáth filia consors Joannis Geréb. Secundo haec conjunx Pauli Donáth nupsit Francisco Kövér.

Tertia filia Pauli Becz Anna, primo consors Nicolai Pálosi, cujus filia Sophia, consors Caspari Földvári.

Secunda filia Annae Becz Catharina, consors Stephani Lázár de Kozmás, sed defecerunt.

Dicta Anna Becz secundo nupsit Joanni Kapturi. Joannis Kapturi filiae: Margaretha, nupsit Nicolao Mikó, cujus filius iterum Nicoláus Mikó, Nicolai Mikó filii Stephanus et Gabriel. Nicolai Mikó hujus secundi filiae Clara, Catharina, Barbara et Elisabetha. Dictae vero Margarethae Kapturi filia Ju-

ditha Mikó, consors Nicolai Kászoni, Nicolai Kászoni filii Stephanus et Nicolaus; filiae Nicolai Kászoni: prima Elisabetha, consors Benedicti Szabolcsi, Benedicti Szabolcsi filii Stephanus et Samuel. Secunda vero filia Nicolai Kászoni Juditha, consors Stephani Szacsvai; Judithae filii: Franciscus, Joannes, Stephanus et Michael Szacsvai, filia Barbara. Dictae Margarethae Kapturi secunda filia Barbara Mikó, consors Stephani Szentei, cujus filius Stephanus Szentei.

Quarta filia Pauli Becz Sophia, cujus filii Mathias et Joannes Andrási; Mathiae Andrási filius rursus Mathias, filia Susanna, consors Michaelis Lorántffi, cujus filia Susanna Lorántffi, Georgii Rákóczi senioris, principis Transylvaniae conjunx, filius hujus Georgius II Rákóczi, princeps Transylvaniae, hujus a Sophia Báthori filius Franciscus princeps Rákóczi, hujus ab Helena Zrinyi filius Franciscus II princeps Rákóczi, qui in exilio est; cujus filii Franciscus et Georgius Rákóczi, et Franciscus quidem, per gratiam Caesaream Princeps a Sancto Carolo, possessionem accepit in Neapoli, Georgius vero, Princeps a Sancta Elisabetha, possessionem tenet in Sicilia.

Dicti Michaelis Lorántffi conjugis, Susannae Andrási, secunda filia fuit consors Samuelis Alia, Samuelis Alia filia consors Simonis Kemény.

Joannis Andrási superius nominati filia Catharina, primo consors Gabrielis Vas, secundo consors Michaelis Ibrányi, duos enim habuit maritos. Gabrielis Vas filius Martinus Vas.

Sed nominata Sophia Becz habuit etiam filias duas: Catharinam Andrási, cujus filii fuerunt Sigismundus et Blasius Kékedi; secunda filia Sophiae

Becz fuit Anna Andrási, cujus filii Georgius et Joannes Semsei, filia consors Adami Hoffmann, cujus probabiliter vel filius vel nepos fuit Baro Joannes Hoffmann, Cancellariae Aulico-Hungaricae consiliarius, cujus filius Pater Michael Hoffmann Soc. Jesu, nam hic P. Michael Hoffmann, vir sanctissimae vitae, cui post Deum exiguum quod scio attribuo, per cursum meum philosophicum non solum professor meus charissimus, sed a me semper loco parentis habitus, saepe mihi gloriabatur, se etiam a sanguine ungaro originem ducere.

Quinta filia Pauli Becz Barbara, cujus filia Anna, consors Michaelis Bessenyei; Michaelis Bessenyei filia Barbara, consors Gabrielis Mikes, hujus filius Benedictus Mikes; Benedicti Mikes filiae: Elisabetha, consors Francisci Henter, cujus filii Andreas, Josephus et Adamus; Andreae filius Alexander, Josephi filii: Stephanus, Daniel et Franciscus; Adami iterum Adamus. Filia Francisci Henter Sara, consors Spect. Dni Stephani Torma de Csicsó-Keresztur, cujus proles Joannes, Stephanus, ecclesiastici ordinis, Daniel, Gabriel et Franciscus Torma.

Secunda filia Benedicti Mikes Sophia, consors Thomae Csegezi, supr. capitanei sedis Aranyas, cujus filia prima Sophia, consors Joannis Geréb de Árapatak, cujus filius Joannes Geréb; secunda filia Maria, consors Samuelis Bíró, cujus filia iterum Maria, consors Francisci Ugron; tertia filia Catharina, quae defecit.

Sexta filia Pauli Becz fuit Helena, quae sine semine defecit. Considera, Lector, si haec tam fecunda fuisset ut reliquae sorores, quo adhuc potuisset haec familia pervenire.

Sed jam transeamus ad secundo genitum Emerici Becz, quem Nicolaum fuisse notavimus. Quinque habuit filias, prima fuit Julia Becz, hujus primus maritus Georgius Török, hujus filius Lazarus, hujus Mathias, defecerunt. Secundo haec Julia Becz nupsit Michaeli Cseh, hujus filia Anna, consors Petri Illés, hujus filia consors Emerici Kelemen, hujus filius Georgius Kelemen; haec familia nostris temporibus defecit in virili sexu in Joanne Kelemen, filio Stephani Kelemen et Sophiae Csintalan. Hic Stephanus Kelemen erat ab aerario principi Georgio Rákoczio II, similiter Sophia Csintalan principissae Sophiae Báthori. Felix conjunctio! Quae Sophia Csintalan secundo fuit consors Comitis Stephani Apor, cujus filius Ladislaus, et defecit. Georgii Kelemen dicta filia Anna, consors Petri Barabás.

Tertia filia Nicolai Becz Anna, consors Valentini Biró, cujus filius Andreas, Andrae filii Joannes et Georgius Biró. Horum filii transiverunt in sedem Udvarhely et habitarunt in Homorod Sz.-Márton; hinc constat, quod familia Bíró de Homorod Sz.-Márton ex Csik exiverit. Filia vero Annae Becz . . . fuit mater Francisci Gál de Kénos.

Quarta filia Nicolai Becz Margaretha, consors Joannis Lacz de Csík Sz.-Márton, cujus filius Andreas Lacz, filia Margaretha Lacz, consors Francisci Agaston, hujus filia consors Stephani Potyó de Kászon.

Quinta filia, Ursula, consors Michaelis Kos, cujus filia Anna.

Superius nominati Pauli Becz consors fuit Catharina Daczo, soror germana Pauli, Francisci et Georgii Daczo.

Pauli Daczo filia Margaretha, consors Michaelis Petki, cujus filius Joannes Petki, filiae vero Joannis Petki: prima Barbara, consors Georgii Apaffi, secunda consors Petri Gávai. Filii Georgii Apaffi: Stephanus, Balthasar et princeps Transylvaniae Michael Apaffi, cujus filius rursum Michael, S. Rom. Imperii Princeps Apaffi, defecit. Filiae Georgii Apaffi: prima consors Francisci Tolalagi, secunda . . . consors Georgii Lázár de Gyalakuta, tertia consors Joannis Henter, quarta consors Joannis Gyeröffi, cujus filius Georgius Gyeröffi, qui in semine virili defecit, filia vero dicti Georgii Gyeröffi Barbara, prius consors Illrmi Dni Comitis Ladislai Gyulaffi de Rátóth, consiliarii exc. Reg. Transylvaniae Gubernii, electi Generalis Transylvaniae, Cottus Colosiensis Comitis nec non sedis Maros capitanei utrobique supremi, cujus filius Comes Ladislaus Gyulaffi, modernus sedis Udvarhely supr. iudex Reg.

Secundo Barbara Gyeröffi nupsit Illrmo Dno Comiti Stephano Kornis de Göncz-Ruszka, cujus titulus superius abunde descriptus est. A Comite Stephano Kornis filius Barbarae Gyeröffi Comes Antonius Kornis, filiae: Eva et Christina.

Superius nominati Petri Gávai filius Nicolaus Gávai.

Secunda filia Pauli Daczo Barbara, consors Michaelis Mikes de Zabola, cujus filius Sigismundus, Sigismundi a Barbara Imecs filii: Michael, Joannes, Paulus, Clemens, Thomas et Sigismundus, omnes defecerunt praeter Clementem; Clementis ergo filius a Susanna Kálnoki Comes Michael Mikes, Comitis Michaelis Mikes a Drusiana Bethlen, filia Volfgangi

Bethlen, filii: Comites Franciscus et Stephanus, Francisci filius a Comitissa Catharina Eszterházi, Comitiss Ladislai Eszterházi filia, Antonius, filia Maria; Stephanus duxit in uxorem Comitissam Rosaliam Petki, Comitiss Davidis Petki filiam, cujus filius Michael.

Sigismundus Mikes ab Helena Imecs habuit tres filias: Barbaram, quae defecit, Annam, consortem Stephani Székely, cujus filia Eva, consors Michaelis Henter de Sepsi Sz.-Ivány, cujus filii: Alexius, Clemens (hujus Clementis filius Michael), David et Joannes Henter, filia prima Clara, consors Samuelis Torma de Csicsó-Keresztur, Tabulae Regiae assessoris; secunda filia Christina Henter, consors Clementis Béldi de Uzon, cujus filii Michael, Ladislaus et Josephus Béldi, filia Clara Béldi.

Dicti Sigismundi Mikes tertia filia a Barbara Imecs, Helena Mikes, consors Joannis Thordai, cujus filius iterum Joannes, cujus filii a Maria Budai: Nicolaus, Franciscus (hujus filius a Barbara Apor, filia Francisci, Franciscus); filiae Joannis Thordai a Maria Budai: prima Maria, consors Petri Száva, cujus filius iterum Petrus Száva. Secunda filia dicti Joannis Thordai Barbara, consors Michaelis Dósa de Makfalva, cujus rursum filius Michael Dósa.

Tertia filia Pauli Daczo Helena, consors Michaelis Tóth, a secundo marito vero filii: Paulus et Georgius Horváth. Helenae Daczo filiae: Drusiana, consors Petri Torma, secunda filia Helenae Daczo Juditha, consors Thomae Szilágyi.

Drusianae Horváth a Petro Torma filius Michael Torma, filia Martha. Judithae Daczo a Thoma Szilágyi filius Thomas Szilágyi, filia Barbara.

Francisci Daczo filius Ladislaus, Ladislai filii: Joannes, Petrus et Franciscus Daczo. Filiae Francisci Daczo: Margaretha, consors Stephani Donáth, et Helena, consors Georgii Bodoni. Joannis Daczo filius Paulus, Pauli filii: Franciscus et Paulus, filiae Anna et Maria; Francisci filius Josephus. Anna nupsit Josepho Henter, cujus filii Stephanus, Daniel et Franciscus Henter, filia Barbara. Secunda filia Pauli Daczo Maria, consors Ladislai Gyulai, cujus filius Franciscus.

Georgii Daczo a conjuge sua Barbara Lázár (quae fuit consors Andreae Apor) filius Thomas, filia prima Barbara, Melchioris Török consors, quae defecit, secunda filia Adviga, consors Michaelis Angyalosi, cujus filius Joannes, Joannis rursum Michael Angyalosi de Lázárfalva; Michaelis Angyalosi senioris filia Elisabetha, consors Joannis Sándor de Csik Sz.-Mihály, cujus filii Stephanus, Petrus et Paulus; filiae: Clara, consors Moisis Imecs, cujus filii: Ladislaus, Antonius, Dominicus et Thomas Imecs, filia Eva Imecs, consors Stephani Dittine vulgo Pivoda, caesarei tribuni. Secunda filia Joannis Sándor Susanna, consors Alexandri Biró.

Thomae Daczo filius Stephanus, Stephani filii: Gregorius, Mathaeus, Sigismundus, Georgius, Franciscus et Ladislaus Daczo, filia Catharina.

Ludit in humanis Divina potentia rebus.

Sta, Lector! vide lusum et actum scenicum mundi; quid videbis? Prius tamen ante visum terge palpebras, accipe tubum specillarem dioptricum,

etiam per hunc bene vide; sed antequam et per hunc videre velles, quaeso, considera hanc deductionem familiae Becz, perlege deductionem in appendice familiae Dominici Nyujtódi, cujus leges filium primum Paulum Damokos, secundum Emericum Becz, et dum utramque hanc deductionem attente perlegeris, tunc primo incipe videre. Quid videbis? Videbis a Dominico Nyujtódi descendere principes, videbis Comites, videbis Barones, videbis praenobiles, videbis nobiles. Applica tubum dioptricum, quid amplius videbis? Videbis ab uno eodem primipilos, videbis pixidarios, videbis hodie et colonos sive jobbagyones, videbis et mendicos. En lusum, en actum scenicum mundi! I nunc, quisquis es, jacta familiam tuam, deduc ab Adamo, gloriare in sanguine, ita tamen cuncta haec fac, ut non obliviscaris in Dominici Nyujtódi familia te vidisse lusum et actum scenicum mundi.

A P P E N D I X.

Sanguine juncti per Dominicum Nyujtódi.

Quia usque ad quartum gradum, in quantum potui, praedecessores meos deduxi, superius vero notavi Simonem Nyujtódi cognatum nostrum fuisse, et simul Barbaram Lázár, Petri Lázár filiam, fuisse conjugem Andreae Apor, quae cognatio ad quos descendat, laconice explicabo. Etquidem genealogia docet, Paulum Nyujtódi vixisse in sede Udvarhely, Dominicus vero Nyujtódi remansit in sede Kézdi, cujus filius Paulus Damokos et Emericus Becz. Et

Emerici Becz quidem genealogia praecedenti titulo abunde descripta est, restat genealogia Pauli Damokos. Cujus filius Michael Damokos, Michaelis Damokos filii Thomas et Dominicus Damokos, defecit. Dicti Pauli Damokos prima filia Margaretha Damokos, prius consors Petri Lázár, secundo Georgii Petki; secunda filia Pauli Damokos Anna, prius consors Stephani Mikes, secundo Petri Benedekffi, defecit; tertia filia Pauli Damokos Catharina, consors Demetrii Bessenyei. Thomae Damokos filii: Franciscus et Stephanus Damokos; Stephani Damokos a Juditha Lázár, Volfgangi Lázár filia, filius Thomas Damokos; filia prima Stephani Damokos Margaretha, consors Nicolai Ozdi, secunda ejusdem filia Catharina Damokos, consors Michaelis Kálnoki, tertia ejusdem filia Helena Damokos, consors Gabrielis Simén, defecit.

Francisci Damokos filii: Joannes et Petrus Damokos, filia Susanna Damokos, consors Balthasaris Szörcei.

Joannis Damokos filius a Juditha Petki, Joannes Damokos, cujus filii: Alexius, Joannes, Antonius et Franciscus Damokos, filia Barbara.

Dicti Joannis Damokos senioris filiae: prima Susanna, consors Petri Jankó de Zágón, cujus filii Franciscus, saecularis, Stephanus, factus Dominicanus et vocatur Casimirus, Petrus, factus religiosus Soc. Jesu, Alexius Jankó, Abele fors innocentior, noctis sub silentio a sicariis in propria domo occisus.

Secunda filia dicti Joannis Damokos senioris Catharina, consors Stephani Boér de Nagy-Nyujtód, cujus filius Stephanus Boér, filia Anna, consors Joannis Szeredai de Sz.-Rontás.

Petri Damokos filii: Stephanus, Petrus, Gabriel et Franciscus; hi duo ultimi defecerunt. Stephani Damokos filii a Clara Saládi: Franciscus, Sigismundus, Ladislaus, Stephanus, Gabriel, defecit, Alexius et Josephus, filia Susanna.

Petri Damokos filii: Petrus, Joannes, defecit, et Samuel, filiae: prima Catharina, consors Francisci Benkő de Árkos, secunda Anna.

Superius nominati Thomae Damokos, filii Stephani senioris Damokos, filius Gabriel, defecit, filia Juditha Damokos, consors Francisci Fekete, cujus filia Clara, prius consors Georgii Szegedi, secundo Stephani Rác de Galgó, defecit.

Dictum est Margaretham Damokos, filiam Pauli Damokos, nupsisse Petro Lázár, cujus filia Barbara Lázár, nupsit primo Georgio Daczo de Sepsi Sz.-György, cujus proles a Georgio Daczo: prima filia Barbara, consors Melchioris Török, et defecit, secunda filia Adviga, consors Michaelis Angyalosi, cujus filius Joannes, Joannis Michael Angyalosi de Lázárfalva; filia vero Michaelis Angyalosi senioris Elisabetha, consors Joannis Sándor de Csik Sz.-Mihály, cujus filii Stephanus, Petrus et Paulus Sándor; filia prima Clara Sándor, consors Moisis Imecs, secunda Susanna Sándor, consors Alexandri Biró de Homorod Sz.-Márton.

Superius nominata Barbara Lázár secundo nupsit Andreae Apor de All-Torja, cujus filius Lazarus Apor, Lazari Apor a prima conjuge Frusiana Nagy, Melchioris Nagy de Bibarczfalva filia, Andreas et Franciscus, defecit. Andreae filius Franciscus Apor, Francisci filii Volfgangus et Lazarus Apor, Volfgangus mansit coelebs, Lazari filii a Theresia Kapi

Emericus, Stephanus, Lazarus et Gabriel Apor, filia Elisabetha.

Dicti Francisci Apor filiae: prima Catharina, quae nupsit primo Gabrieli Abaffi, cujus filius Casparus Abaffi; secundo nupsit Gabrieli Vajna. Secunda filia dicti Francisci Apor Barbara, primo consors Francisci Thordai de Somolyom, cujus filius Franciscus, secundo consors Sigismundi Horváth.

Filiae vero Lazari Apor senioris a Frusiana Nagy: prima Catharina, quae nupsit Georgio Pünkösti de Uzon, cujus filius Michael, Michaelis filius Georgius Pünkösti. Secunda filia Helena Apor, consors Michaelis Cserei de Csik-Rákos, cujus filia Juditha Cserei, quae nupsit Joanni Cserei de Nagy-Ajta, cujus filii Michael et Joannes Cserei de Nagy-Ajta; Michaelis filius Georgius.

Lazarus Apor, ut saepe dictum est, secundo duxit in uxorem Juditham Imecs, cujus filii: Lazarus, Petrus, comes Stephanus, Joannes, Volfgangus et Sigismundus Apor, filiae: prima Barbara, consors Francisci Thordai de Somolyom, secunda filia Sophia. Sed hae proles omnes defecerunt, praeter Joannem; Joannis filius Baro Petrus Apor, Baronis Petri Apor a comitissa Barbara Kálnoki filii: Josephus, Joannes et Ladislaus, filiae: Susanna, consors comitis Joannis Haller, quae defecit, et Anna.

Margaretha Damokos, consors prius Petri Lázár, secundo nupsit Georgio Petki, cujus filia Catharina, consors Balthazaris Széki, filius Balthazaris Stephanus, filia Margaretha Széki, consors Joannis Pribék.

Demetrii Bessenyei ab Anna Damokos, Michaelis filia, filius Michael Bessenyei, filia Barbara,

prius consors Gabrielis Mikes, secundo Stephani Bassa. Gabrielis Mikes ex Barbara Bessenyei filius Benedictus Mikes, cujus filia Elisabetha Mikes, consors Francisci Henter, ut supra cum reliquis.

Nicolai Ozdi ex conjuge sua Margaretha, Stephani Damokos filia, filius Petrus Ozdi, filiae Petri Ozdi: prima consors Emerici Botos, secunda Juditha, consors Petri Mikó de Söögöd, tertia filia Catharina, consors Martini Berzenczei. Petri Mikó a Juditha Ozdi filius Joannes Mikó, filiae: prima Anna, primo consors Lazari Apor junioris de All-Torja, secundo consors Sigismundi Haranglábi, quae defecit; secunda filia Petri Mikó Juditha, prius consors Michaelis Sándor, secundo Michaelis Bors, et defecit. Filii Joannis Mikó: Adam, defecit, Josephus et Lazarus; filiae Joannis Mikó: prima Eva, consors Michaelis Mihalcz de All-Torja, secunda Susanna Mikó, prius consors Stephani Folta, cujus filia Juditha Folta, consors Clementis Köncezi de Karatna, secundo Susanna Mikó nupsit Gregorio Köncezi de Karatna.

(Hic deducenda est genealogia Martini Berzenczei, quam prae manibus non habeo.)

Michaelis Kálnoki a Catharina Damokos, Stephani filia, filii: Valentinus, Petrus, Thomas et Michael Kálnoki; reliqui defecerunt praeter Thomam, cujus filius Michael et Joannes, filiae: prima Catharina, consors Pauli Fekete, secunda Elisabetha, consors Sigismundi Székely de Kilyén, tertia Christina, prius consors Petri Barabás de Kézdi-Vásárhely, secundo consors caesarei centurionis Zamblon; quarta filia Anna, consors Davidis Henter de Csik-Sz.-Imre.

Balthasaris Szörcei a Susanna Damokos, filia Francisci Damokos, filiae: Barbara Szörcei, consors Thomae Imecs, cujus filii: Moises, Stephanus, Mathias et Thomas Imecs; Stephanus et Thomas defecerunt. Filiae dicti Thomae Imecs senioris: Barbara Imecs, consors Stephani Sándor de Csik-Sz.-Mihály, secunda Elisabetha, prius consors Michaelis Székely de Kilyén, secundo Gabrielis Boér de Kövesd; tertia filia Thomae Imecs Anna, prius consors Ladislai Thúri de Tamásfalva, secundo Josephi Mihálcz de Polyán.

Filii Moisis Imecs: Ladislaus, Antonius, Dominicus et Thomas Imecs, filia Eva, consors Stephani Dittine vulgo Pivoda, caes. supr. tribunus. Mathiae filius Emericus, filiae Susanna et Rachel; Susanna nupsit Josepho Csernátoni, Rachel nupsit Blasio Mihálcz.

Barbarae Imecs a Stephano Sándor filiae: Agnes et Susanna; Agnes nupsit Mathiae Kun de Kál, Susanna nupsit Joanni Bialis ex Genua oriundo, modo in Illyefalva habitanti. Elisabethae Imecs a Michaele Székely filius Alexius, filiae: prima Julia, Petri Sándor de Sz.-Mihály consors, secunda Elisabetha, consors Georgii Barabás de Kézdi-Vásárhely, tertia Maria, consors Joannis Geréb de Illyefalva; ejusdem a Gabriele Boér filius Franciscus.

Annae Imecs filii a Ladislao Thúri: Franciscus, Ladislaus et Alexander Thúri.

Ad benevolum lectorem.

Vidisti, lector benevole, non solum florentem, sed et marcescentem familiam meam me descripsisse,

sanguine junctorum prout aulas ita et caulas notavisse, nec Irum, nec Codrum praetermisisse, ut advertas me in omnibus processisse opere et veritate. Vale et hoc observa

Axioma:

Virtus posterorum confirmat gloriosa acta majorum; jactatio sanguinis sine virtute inficit sanguinem antecessorum; gloria vero posteritatum virtus erigentis et fundantis familiam.

N. B. In nomine quorundum procerum solus video in diversis locis discrepantiam; sed prout ex historiis variis et manuscriptis hanc deductionem composui, dubius haesi, cui magis credendum sit; placuit ergo prout quivis notavit, eam notationem fideliter imitari. Sunt etiam aliqui errores scribae, quos ut potui correxi quidem, quos non adverti, scias, non meum sed scribae errorem fuisse, cum mea scriptura ad legendum sit utcunque difficilis.

Compendium totius operis,
sive descriptio synoptica familiarum,
quarum de sanguine sunt proles meae.

Per Apor.

Opor dux, fundator arcis Bálványos. Comes Joannes Opor anno 1311. Stephanus Opor. Petrus Opor. Alexander Opor. Mathaeus Apor. Stephanus Apor. Ladislaus Apor. Alexander Apor. Michael Apor. Andreas Apor. Lazarus Apor. Joannes Apor. B. Petrus Apor. Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, ut et Anna Apor.

Per Kálnoki.

Andreas Nemes de Kálnok, Stephanus Nemes de Kálnok, Mathaeus Kálnoki, Demetrius Kálnoki, Valentinus Kálnoki, Petrus Kálnoki, Valentinus Kálnoki, Joannes Kálnoki, Stephanus Kálnoki, Comes Samuel Kálnoki, Comitissa Barbara Kálnoki, Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, ut et Anna Apor.

Per Báthori.

Nicolaus Báthori, Barbara Báthori, Petronella Czire, Elisabetha Valkai, Petronella Thomori, Juditha Imecs, Joannes Apor, B. Petrus Apor, Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, ut et Anna Apor.

Per Thomori.

Stephanus Thomori, Demetrius Thomori, Nicolaus Thomori, Laurentius Thomori, Petronella Thomori, et sic per consequens ut in familia Báthoriana.

Per Bánffi.

Balthasar Bánffi, Margaretha Bánffi, consors Clementis Béldi, Anna Béldi, C. Samuel Kálnoki, et per consequens ut in familia Kálnokiana.

Per Béldi.

Albertus Béldi, Paulus Béldi, Franciscus Béldi, Joannes Béldi, Clemens Béldi, Anna Béldi, C. Samuel Kálnoki, et per consequens.

Per Bethlen.

Volfgangus Bethlen, Sara Bethlen, Catharina Károlyi, Stephanus Kálnoki, C. Samuel Kálnoki et per consequens.

Per Apaffi.

Leonardus Apaffi, Clara Apaffi, Margaretha

Lázár, Anna Petki de Ders, Joannes Kálnoki, Stephanus Kálnoki, C. Samuel Kálnoki, ut supra.

Per Lázár.

Et quidem haec familia a Toxo duce durat, ut ostendi. Andreas Lázár, totius Transylvaniae Cancellarius, Stephanus Lázár, Andreas Lázár, Stephanus Lázár, Stephanus Lázár alter, Comitissa Elisabetha Lázár, Comitissa Barbara Kálnoki, Barones Josephus, Joannes et Ladislaus Apor, ut et Anna Apor.

Item per Lázár in Petki.

Joannes Lázár senior, Emericus Lázár, Joannes Lázár, Elisabetha Lázár, Stephanus Petki, Catharina Petki, Comitissa Elisabetha Lázár, Comitissa Barbara Kálnoki cum prolibus.

Per Ugron de Cs.-Sz.-György in Petki et Lázár.

Dominicus Ugron, cujus filia prima consors Emerici Lázár, Joannes Lázár, Elisabetha Lázár, Stephanus Petki, Catharina Petki, ut supra.

Per Ugron eundem in Béldi.

Secunda filia Dominici Ugron fuit consors Pauli Béldi, cujus filius Franciscus, cujus Joannes, Joannis Clemens, filia Anna Béldi, mater Comitissae Samuelis Kálnoki, ut in familia Kálnokiana.

Per Becz.

Pauli Becz filia Catharina Becz, consors Joannis Béldi; Joannis Béldi filius Clemens, Clementis Béldi filia Anna Béldi, mater Comitissae Samuelis Kálnoki, unde superius.

Item per Becz in Andrási.

Joannis Andrási filia Barbara, consors Michaelis Apor, cujus filius Andreas, Andreae Laza-

rus, Lazari Joannes, Joannis B. Petrus Apor cum suis prolibus.

Per Dominicum Nyujtódi.

Dominici Nyujtódi, avi Pauli Becz, filius Paulus Damokos, cujus filia Margaretha, consors Petri Lázár, cujus filia Barbara, consors Andreae Apor, cujus filius Lazarus, cujus Joannes, Joannis Baro Petrus Apor cum suis prolibus, ut supra.

Nos requisitores litterarum et literalium instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli Ecclesiae Albensis Transylvaniae repositarum et locatorum, ac aliarum quarumlibet judiciariarum deliberationum legitimorumque mandatorum regio-principalium executores, damus pro memoria. Quod nos litteras Suae Mattis Ssimae requisitorias pro parte Spectabilis ac Magnifici Domini Petri Apor Liberi Baronis de All-Torja confectas et emanatas, nobisque praeceptorie sonantes et directas, honore et obedientia quibus decuit receperimus in haec verba.

Carolus VI. Dei gratia electus Romanorum Imperator semper augustus, ac Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiaeque etc. Rex, archidux Austriae et princeps Transylvaniae. Fidelibus nostris egregiis et nobilibus requisitoribus litterarum et literalium instrumentorum in sacristia sive conservatorio Capituli ecclesiae Albensis Transylvaniae repositarum et locatorum, ac aliarum quarumlibet judiciariarum deliberationum, legitimorumque mandatorum nostrorum regio-principalium executoribus gratiam nostram caesareo-regiam. Exponitur Majestati Nostrae in persona Spectabilis ac Magnifici

Petri Apor Liberi Baronis de All-Torja, qualiter idem paribus universarum litterarum donationalium, inscriptionalium, consensualium, confirmationalium, introductionalium, statutorialium, superinde relatoriarum, fassionalium, venditionalium, emptionalium, exemptionalium, concambialium, compositionalium sive transactionalium, admonitorialium, certificatarum, adjudicatoriarum, sententionalium, absolutionalium, inhibitorialium, prohibitorialium, contradictorialium, metalium, metarum reambulationalium, metarum rectificationalium, superinde relatoriarum, ac aliarum quarumlibet totalium et integrarum causalium, factum videlicet integrarum possessionum ac portionum possessionariarum, ubivis in Comitatibus Sedibusque Siculicalibus et districtibus Principatus Transylvaniae et partibus regni Hungariae eidem adnexis existentium, habitarum, in annis Domini Millesimo Tercentesimo undecimo vigesimo primo, vigesimo quarto, item millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, et millesimo quingentesimo, saeculis nimirum tunc currentibus, jam vero diu transactis, praeteritis sub regiminum divorum quondam regni nostri Hungariae regum et felicitis recordationis Transylvaniae Principum, praedecessorum nostrorum, ut et Vajvodarum et Gubernatorum regni praedicti Hungariae et partium Hungariae eidem subjectarum, pro parte familiae ejusdem exponentis Aporianae legitime confectarum et emanatarum, eundem exponentem familiamque suam memoratam Aporianam tangentes et concernentes, in sacristia seu conservatorio vestro repositae et locatae esse perhibeantur: proinde vobis harum serie committimus et mandamus firmiter, quatenus acceptis praesentibus,

statim vos litteras praescriptas in conservatorio vestro repositas et locatas, diligenter requirere, requisitarumque et reinventarum tenorem in transumpto litterarum vestrarum sub sigillo vestro capitulari et authentico Exponenti praefato extradare modis omnibus debeatis et teneamini, caventes tamen, ne dolum aut fraus hac in parte eveniat aliqualis. Secus non facturi. Datum in Libera Regiaque Civitate nostra Claudiopolitana, die vigesima secunda mensis currentis Septembris, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto. Erantque sigillo ejusdem SSmae Suae Majestatis authentico super cera rubra ductili impressivae communitae clauseque confectae, et emanatae, et infra sigillum erat subscriptum: Lecta. Quibus receptis nos mandato SSmae Suae Mattis per omnia ut tenemur obedire, et satisfacere volentes, universas litteras et literalia instrumenta, matricas et scrinia diligenter investigantes et impendentes, tandem post diligentem hujus modi requisitionem nostram reinvenimus quasdam litteras, quarum etquidem primarum tenor et verbalis contentia talis est. Nos Capitulum Ecclesiae Transylvaniae memoriae commendantes praesentium per tenorem significamus quibus expedit universis, quod constiterit coram nobis Stephanus, filius Joannis, filii Opor de Siculis de Kizdy pro se et Nicolao, Demetrio et Petro fratribus suis, exhibuit nobis patentes litteras religiosi viri fratris Stephani, procuratoris Religiosarum Dominarum in Insula Beatae Virginis Mariae Deo famulantium, super testamento condito Blasii filii Olcy proximi sui, super diversis articulis, ut inferius in eisdem litteris contentis patebit, et specialiter super manumissione quorundam servorum

et ancillarum suarum, et legatione et commissione terrae suae Szárazpatak vocatae praedictis Stephano, Nicolao, Demetrio et Petro, filiis ipsius Comitiss Joannis, filii Opor facta confectas, petens nos idem Stephanus cum instantia, ut ipsas litteras ad cautelam majoremque firmitatem nostris inseri litteris faceremus, et sigillo nostro communiri Quarum litterarum tenor talis est: Nos frater Stephanus, procurator Religiosarum Dominarum in Insula Beatae Virginis Mariae Deo famulantium, memoriae commendantes significamus universis quibus expedit praesentium per tenorem, quod cum Comes Blasius, filius Olcy de Kizdy, in territorio Domini Regis constitutus, gravi fuisset infirmitate deceptus, decumbens in villa Olcha vocata, praesentibus nobis et aliis viris idoneis per ipsum illic vocatis, sentiens se de hac valle miseriae decessurum, tale condidit testamentum: Quod corpus suum in coemeterio praedictae ecclesiae B. Virginis Mariae de Insula commisit sepeliri; item dictae ecclesiae commisit pro remedio animae suae unum equum, unum scyphum argenteum, et unum cingulum argenteum; item ecclesiae Beatae Clarae, in qua Fratres minores Deo famulantes, legavit unum equum; item ecclesiae Beatae V. Mariae de Olcha unum equum; item servos et ancillas suas, videlicet Annam Cartaneam, cum filio suo, Chihurcam, similiter cum filio suo, item parvum Joannem, item Urchek, item Custa et Mathe cum pueris suis legavit ob salutem suam frui perpetua libertate, ratione pristinae conditionis tam per proprios suos, quam per alios nunquam ab hodie, et deinceps molestandos; item terram suam Szárazpatak vocatam legavit Stephano, Nicolao, Demetrio et

Petro, filiis Comitis Joannis, filii Opor, fratris sui, perpetualiter possidendam, computando circa praemissa omnem materiam quaestionis ulterius procedendi; in cuius rei memoriam et soliditatis testimonium praesentes litteras sigillo nostro fecimus roborari. Datum in Vigilia Beati Jacobi Apostoli anno Domini millesimo trecentesimo undecimo. Nos igitur petitionibus ipsius justis et licitis ac legitimis annuentes, quia ipsas litteras cepimus integras in charta et sigillo, et non cancellatas, non abrasas, non abolitas, nec in aliqua sui parte vitiatas, tenorem ipsarum litterarum de verbo ad verbum praesentibus transcribi fecimus, et sigillo nostro authentico communiri. Datum in quindenis Purificationis B. Mariae Virginis anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo, Andrea praeposito, Sauto cantore, Vincentio custode, Nicolao Archidiacono, de Corda decano ecclesiae nostrae existentibus. Cujus sigillum erat laceratum.

Secundarum autem litterarum tenor sequitur in hunc modum. Magnifico Domino Thomae Vajvodae Transylvano et Comiti de Zonouk et de Cibinio, amico suo Capitulum Ecclesiae amicitiam paratam supremo cum honore. Litteras Magnitudinis Vestrae noveritis nos recepisse in haec verba. Discretis viris, et honestis dominis et amicis suis reverendis, Capitulo Ecclesiae Albensis Transylvaniae, Thomas vajvoda transylvanus, comes de Zonuk et de Cibinio, amicitiam paratam et se totum cum honore. Conqueritur nobis Stephanus, filius Joannis nobilis de Szárazpatak, quod Sandrinus filius Opour, et Opour frater ejusdem Sandrini, ac Egidius filius Stephani, fratres sui pactum et ordinationem super ipsa possessione

Szárázpatak mediantibus literis nostris inter ipsos habitam et ordinatam minime observassent, sed ipsam possessionem Szárázpatak sine homine nostro et testimonio Capituli aut Conventus inter se divisissent absque sua voluntate, et in ipsa divisione curias sororum suarum propriarum sibi pro debita portione potentialiter tradidissent, et ipsi pro se homines liberos et curias liberorum hominum in portione ipsorum elegissent et recepissent, insuper autem quosdam Bicenos suos, a fratre suo sibi commissos, salvis rebus et personis occupassent, et nunc detinent occupatos, et utilitates ejusdem possessionis potentialiter in ipsius praejudicium et gravem jacturam perciperent et perceperissent usque modo. Caeterum etiam quandam possessionem ipsorum Fel-Torja vocatam, quae Opour, filium Opour, in aliqua parte non attingit, praefati Sandrinus et Egidius absque sua similiter voluntate divisissent, et sibi portionem pro habitationibus per omnia destructam assignassent, et pro se ipsis partes populorum multitudine decoratas accepissent. Super quo amicitiam Discretionis Vestrae praesentibus requirimus diligenter, quatenus cum Ladislao de Pech, juvene aulae nostrae vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, coram quo idem homo noster de omnibus praemissis et singulis praemissorum sciat et inquirat omnimodam veritatem, et scita veritate, ipsos Sandrinum, Opour et Egidium ad nostram videlicet (?) praesentiam ad terminum competentem contra Stephanum praenotatum, et post haec prout vobis de praemissis veritas constiterit, nobis cum die citationis termino assignato, et nominibus citatorum, ac cum totius facti serie in vestris literis nostri gratia nobis rescribatis. Datum

in Déva, secundo die octavarum ecclesiae Domini, anno ejusdem millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Nos igitur petitionibus vestris acquiescentes, cum ipso Ladislao homine vestro ad exequendam continentiam ipsarum literarum nostrarum unum ex nobis, magistrum Paulum, concanonicum nostrum misimus vice nostra pro testimonio; qui quidem homo noster et praefatus Ladislaus homo vester demum ad nos reversi, concorditer dixerunt nobis requisiti, quod idem homo vester una cum ipso homine nostro feria quinta proxima post festum Conversionis Beati Pauli Apostoli ad terram seu possessionem Szárazpatak vocatam accessissent, et praefatus homo vester sub testimonio dicti hominis nostri diligenti inquisitione habita, tam secrete, quam manifeste ab hominibus, a quibus decuit et licuit in praemissis veritatem sci-
vissent et scire potuissent, invenissent, quod praefata divisio dictae possessionis Szárazpatak inter ipsos indebite et injuste facta exstitisset, in eo videlicet, quod ipsi Stephano filio Joannis et fratribus suis praeter decem domos sororum suarum quatuordecim curias hominum liberorum, in quibus quidam Biceni essent, assignassent, et idem Sandrinus, Opor et Egidius de ipsa possessione Szárazpatak octuaginta quinque mansiones hominum liberorum bicenorum et aliorum pro eorum portione recepissent; praeterea in praefata quinta feria post festum Conversionis Beati Pauli Apostoli dictus Ladislaus homo vester simul cum ipso homine nostro accessissent ad villam seu possessionem Fel-Torja vocatam habitam indebite et injuste factam, in eo videlicet, quod ipsi Stephano et fratribus suis portionem terrae habitationibus fere destitutam, in qua nunc tantum-

modo triginta mansiones essent, assignassent, in portione vero Egidii centum et triginta quinque forent mansiones in eadem Fel-Torja existe Uti visa et inventa hujusmodi divisione in possessionibus supradictis. saepe fatus homo noster in facie ipsarum terrarum in praedicta die citasset ipsos Sandrinum, Opor et Egidium ad vestram praesentiam contra Stephanum filium Joannis praelibatum responsuros, octavas purificationis Beatae Virginis proxime venturas eisdem pro termino assignando coram vobis comparendi. Datum in festo Beatae Agathae Virginis et Martyris, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. Item non hoc praetermittimus quod retulerunt, et quod quosdam Bicenos a patre suo filii commissos idem Sandrinus, Egidius et Opor pro portione sua in Szárazpatak occuparunt. — Terti-
arum autem literarum verbalis continentia haec est. Carolus Dei Gratia Rex Hungariae. Fidelibus suis Capitulo Ecclesiae Beati Michaelis Archangeli Transylvaniae, salutem et gratiam. Noveritis quod cum possessiones Dok Kaszun vocatas petitas novem possessionum hominum sine haerede decedentium Sandur filio Opor fideli nostro pro fidelibus suis servitiis contulissemus, per Stephanum filium Pauli hominem nostrum sub testimonio hominis nostri jam bis eidem Sandur et Egidio filio Stephani fratris ejusdem statui mandantes, et Siculi de Czyk, et notatum ex iisdem Ladislaus major uxoratus, Petrus et Paulus, filii Jacobi. Bene filius Irgus, Stephanus filius Johelend, Stephanus filius Eltus, Belus, Valentinus filius Sandur, Buruch filius Marcus, Mathe filius Bank, Jacobus filius Chumburd, et Nicolaus filius Andreae, et ipsam possessionum statutionem,

asserendo easdem fore terras eorum, contradictores exstitissent, licet ab hoc contra eosdem Sandur filium Opor et Egidium ad nostram vocati praesentiam ad prosequendam hujus modi citationis causam non venissent, nec aliquem misissent, sic in vestris citatoriis et nostris judicialibus literis vidimus continere, tamen ad majorem justitiae evidentiam easdem possessiones iterato eisdem Sandur filio Opor, et Egidio statui mandavimus, fidelitati vestrae praecipientes, Quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, coram quo praedictus Stephanus filius Paulus homo noster dictas possessiones reambulet juxta veras metas, et statuatur eidem Sandur ac Egidio filio Stephani, fratri ejus perpetuo possidendas, si non fuerit contradictum, contradictores vero si qui fuerint, contra ipsos ad nostram specialem citet praesentiam, ad terminum competentem, et praeter haec facti seriem nobis rescribatis. Datum prope castrum Déva in quindenis Pentecostes anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto. — Quartarum autem literarum tenor sequitur in hunc modum. Amicis suis reverendis Capitulo Albensi Transylvano Antonius de Kend vice Vajvoda Transylvanus amicitiam paratam cum honore. Dicitur nobis in personis nobilium Laurentii filii Mikó de Hidvég, ac Pauli filii quondam Valentini Therek de Szent-Miklós Torja, nec non Dominarum relictæ quondam Stephani Apor de Szent-Márton, et Elenae, consortis Benedicti Mihacz de Doboly, filiae ejusdem Stephani Apor: Quod in anno nimirum secundo instaret revolutio, Egregius Sandrinus Kyzdi de Dicső Szent-Márton quandam possessionem ipsorum exponentium Torja vocatam in Comitatu Albensi existentem habi-

tam ipsos omnis juris titulo concernentem, injuste et indebite via juris sine omni pro se occupasset, occupatamque teneret et conservaret, ac eadem uteretur etiam ad praesens, in quibus eisdem exponentibus centum flor. auri damna intulisset. Caeterum in anno nimirum fere octavo vel citra praeteriisset revolutio, idem Sandrinus Kyzdi, ignoratur quo motivo ductus, quod nobilem Benedictum Priny dictum de Zázfalu, tunc familiarem suum, fratrem eorundem exponentium, in domo habitationis suae captivasset, captivoque unum lapidem ad collum ejusdem ligans in aquam Küköllö projici fecisset, universasque res et bona ducentorum flor. auri valentia, protunc erga ipsum Benedictum familiarem suum repertas et inventa auferri fecisset potentia mediante in praejudicium dictorum exponentium valde magnum. Super quo vestram amicitiam petimus diligenter, Quatenus vestrum mittatis hominem pro testimonio fide dignum, quo praesente Martinus de Bæld, vel Ambrosius de Moha, seu Thomas, sive Osvaldus Forró dicti de Haporton, sive Pancratius de Sárd, nec non Michael Nemes de Hidvég, aliis absentibus homo noster, scita prius praemissorum mera veritate, evocet praefatum Sandrinum Kyzdi contra annotatos exponentes ad octavas festi Beati Georgii Martyris nunc venturas nostram in praesentiam, rationem praemissorum redditurum, litis pendentia, si quae foret inter ipsos, non obstante, insinuantes ibidem eidem, ut sive ipsis octavis in praedictis coram nobis compareat, sive non, nos ad partis comparentis instantiam id faciemus in praemissis, quod juri videbitur expediri, et post haec hujusmodi inquisitionis, evocationis et insinuationis seriem, ut fuerit expedita, nobis amicabi-

liter rescribatis. Datum Thordae, in festo Conversionis Beati Pauli Apostoli, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. In dorso vero harum, istius mandati exequutio describitur tali modo. Egregio Antonio de Kend, vice Vajvodae Transylvano, Capitulum ecclesiae Transylvaniae amicitiam paratam cum honore. Vestra noverit Egregietas, nos literas vestras inquisitorias, evocatorias et insinuatorias honore quo decuit recepisse in haec verba: Amicis suis etc. Nos vestris amicabilibus petitionibus gratum praebentes consensum, magistro praefato Osvaldo Forró de Haporton unum ex nobis videlicet hominem, dominum Thomam de Lippha, socium et concanonicum ac decanum nostrum nostro pro testimonio ad praemissa fideliter exequenda duximus transmittendum. Qui tamen exinde ad nos reversi, nobis pariformiter retulerunt, quomodo ipsi in die Conversionis Beati Pauli Apostoli Thordae in Congregatione Generali nobilium partium Transylvanarum celebrata, sic procedens (?), tam ab omnibus nobilibus et ignobilibus praescripti Cottus de Küköllő palam et occulte diligenter inquirendo, omnia et singula praemissa exequuta fuisse rescivissent, qualiter Vestrae dictum exstitisset Egregietati, dempto praedicto centum flor. auri. Tandem una cum praenotato Osvaldo homine vestro, iterum unum ex nobis scilicet hominem dominum Mathaeum de Kolosvár ad executionem evocationis et insinuationis transmittent similiter nobis concorditer retulerunt, quomodo isto sabbatho proximo ante festum Purificationis Virginis Gloriosae ad possessionem Váradgya pergentes, memoratum Sandrinum de portione sua possessionaria in dicta Váradgya in Cottu Al-

bensi existente habita ad octavas festi Beati Georgii Martyris nunc proxime venturas in vestram evocassent praesentiam, rationem praemissarum redditurum, insinuassentque eidem ibidem, ut sive ipse dictis in octavis coram Vestra Egregietate compareat, sive non, nos ad partium ipsarum instantiam id faciemus in praemissis, quod juri videbitur expediri. Datum sexto die dictae evocationis et insinuationis praenotat. anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono. — Quintarum et ultimarum literarum continentia talis est: Nos Sigismundus Báthori de Somlyó, Vajvoda Transylvaniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod nominibus et in personis Egregiorum Emerici, filii quondam Stephani Apor de Torja, ac Nicolai et Francisci, filiorum quondam Blasii, filii jam fati olim Stephani Apor, nec non Petri, Stephani et Alexandri, filiorum quondam Ladislai Apor de dicta Torja, item Stephani et Andreae, filiorum quondam Michaelis Apor de praefata Torja, exhibitae sunt nobis et praesentatae quaedam literae donationales illustris olim Joannis de Zápolya, Comitis perpetui Terrae Scepusiensis, Vajvodaque Transylvaniae et Siculorum Comitis etc. super portionibus possessionariis in possessionibus Szárazpatak et Szent-János, nec non quadam particula terrae Árokközi vocatae in Comitatu Albensi Transylvaniae existentibus infra denotatis et declaratis, in duplici papyro majori regali patenter confectae sigilloque ejusdem Domini Vajvoda majori et authentico impressivae communitae, tenoris infrascripti, supplicans nobis humillime, ut nos eandem literam ac omnia et singula in eisdem con-

tenta ratas, gratas et accepta habentes, praesentibus literis nostris verbotenus inseri et inscribi facientes, pro eisdem Emerico, Nicolao. Francisco, Petro, utroque Stephano, Alexandro et Andrea Apor benevole confirmare, consensum nostrum superinde praebere dignaremur. Quarum tenor talis est. Nos Joannes de Zápolya, Comes perpetuus Terrae Scypusiensis, Vajvodaque Transylvaniae et Siculorum Comes etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis, quod nos debitum habentes respectum ad praeclara agiliū Stephani, Ladislai et Michaelis Apor de Torja servitiorum merita, quibus ipsi in plerisque rebus et factis debitisque locis et temporibus, non parcentes corpori et rebus suis, semper indefesse nobis gratos se reddere studuerunt et acceptos, volentes propterea nos quoque eisdem aliquo munificentiae antidoto occurrere atque subvenire, totales portiones possessionarias nobilium et agiliū Joannis et Emerici Blasko, nec non alterius Emerici Becz, in possessionibus Szárazpatak et Szent-János, nec non quandam particulam terrae Árokközi vocatas in Comitatu Albensi Transylvaniae existentes habitas, quarum ut puta certa pars, ex inscriptione et obligatione progenitorum praefatorum Stephani, Ladislai et Michaelis Apor, erga manus dictorum Joannis et Emerici Blasko ac alterius Emerici Becz titulo pignoris existisset, quae ex eo, quod iidem Joannes et Emericus Blasko, ac alter Emericus Becz ratione praesertim incinerationis atque combustionis domorum quorundam siculorum atque insurrectionis contra majestatem regiam nostramque personam, ubi scilicet ipsi universitatem Siculorum commovere, exstructisque

bellicis machinis, conflatis in unum viribus manus ipsorum violentas jacere, et more hostili contra nos animose aggredi et bella attentari veriti non fuissent, et ex eo in nota perpetuae infidelitatis condemnati exstitissent, universa bona, et quaelibet jura ipsorum possessionaria in sacram regni coronam, consequenterque majestatem regiam et nostras, tamquam manus judicarias devolvi debuissent et condescendi, riteque et legitime devolutae essent et redactae, simul cum omni jure nostro, si quid in eisdem portionibus possessionariis et praetacta particula terrae qualitercunque haberemus, aut nos ex quibuscunque causis, viis, modis et rationibus concernere viderentur, pariter cum cunctis earum utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foenetis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum earundem integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis, sub suis veris metis et antiquis existentibus, memoratis Stephano, Ladislao et Michaeli Apor, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis dedimus, donavimus et contulimus, imo damus, donamus et conferimus jure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, possidendas, pariter et habendas, salvo jure alieno, harumstrarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in Civitate Segesvariensi, feria quarta proxima ante festum Beati Gregorii Papae, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo primo. Inferius autem in calce literarum scriptum erat: Ad relationem Francisci

Cherey, cubicularii Domini Comititis. Nos igitur praemissa supplicatione eorundem nobis modo quo supra porrecta benigne exaudita et admissa, praescriptas dicti domini Joannis Comititis et Vajvodae literas donationales, non abrasas, non cancellatas, nec in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio et suspicione carentes praesentibus literis nostris de verbo ad verbum sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas quoad omnes earundem continentias, articulos, clausulas et puncta, eatenus, quatenus eadem rite et legitime existunt emanata, viribusque earum veritas suffragatur, acceptamus, approbamus, ratificamus, consensum nostrum eisdem praebemus, easque ac omnia et singula in eisdem contenta pro praefatis Emerico, Francisco, Nicolao, Petro, utroque Stephano, Alexandro et Andrea Apor, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis perpetuo valituras confirmamus, et nihilominus attentis et consideratis fidelitati et fidelibus servitiis eorundem Emerici filii quondam Stephani Apor, ac Nicolai et Francisci, filiorum quondam Blasii, filii praefati olim Stephani Apor, nec non Petri, Stephani et Alexandri, filiorum quondam Ladislai Apor, item Stephani et Andreae, filiorum quondam Michaelis Apor, nobis et huic regno, pro locorum et temporum diversitate exhibitis et impensis ac in futurum quoque exhibendis et impendendis, totum et omne jus regium, si quod in praescriptis portionibus possessionariis in annotata Szent-János, alias possessione, nunc vero (ut perhibetur) in praedium redacta, simul cum cunctis suis utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, terris scilicet arabilibus, cultis et incultis, agris, pratis, pascuis, campis, foe-

netis, sylvis, nemoribus, montibus, vallibus, vineis, vinearumque promontoriis, aquis, fluviis, piscinis, piscaturis, aquarumque decursibus, molendinis et eorundem locis, generaliter vero quarumlibet utilitatum et pertinentiarum suarum integritatibus quovis nominis vocabulo vocitatis ad easdem portiones possessionarias seu praediales in dicta Sz.-János existentibus, jusque regium in eisdem qualitercunque habitum, de jure et ab antiquo spectantibus et pertinere debentibus, sub suis veris metis et antiquis limitibus existentibus, memoratis Emerico, filio quondam Stephani Apor, ac Nicolao et Francisco, filiis quondam Blasii, filii praefati olim Stephani Apor, nec non Petro, Stephano et Alexandro, filiis quondam Ladislai Apor, item Stephano et Andreae, filiis quondam praefati quondam Michaelis Apor, ipsorumque haeredibus et posteritatibus universis dandas, donandas et conferendas duximus, prout damus, donamus et conferimus jure perpetuo et irrevocabiliter tenendas, possidendas pariter et habendas, salvo jure alieno, harum nostrarum vigore et testimonio literarum mediante, quas nos in formam privilegii nostri redigi faciemus, dum nobis in specie fuerint reportatae. Datum Albae Juliae penultima May, anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto. — Nos itaque sic requisitarum et reinventarum praescriptarum literarum non abrasarum, non cancellatarum, nec in aliqua sui parte suspectarum, sed omni prorsus vitio et suspicione carentium tenorem de verbo ad verbum sine diminutione et augmento, variationeque aliquali praesentibus insertarum copiam sive paria eorundem in transumpto literarum nostrarum sub sigillo nostro Capitulari et authentico eidem

Spectabilis ac Magnifici Domini Exponentis jurium suorum uberiores futuram ad cautelam necessariorum fideliter et conscientiose extradandam duximus et concedendam, communi justitia et aequitate suadente. Datum feria tertia proxima ante festum Beati Andreae Apostoli, anno Domini millesimo septingentesimo vigesimo quinto.

Quae quidem literae sic transumptae erant patenter confectae, et in medio, loco videlicet solito, sigillo Capituli Albensis Transylvaniae authentico super cera alba impressivae communitae, inferius autem legebatur a dextra talis manuscriptio: Collata, lecta et extradata per eosdem requisitores.

Quod autem praeinsertarum literarum verbalis tenor sincere, absque omni suspitione sit descriptus, praesentibus testor

Joannes Dombi,
juratus inclitae Sedis Siculicalis
Kézdi notarius.
(p. h.)



ADMONITIO AD POSTERITATEM

sive

appendix ad Genealogiam Aporianam.

Ne te turbet, posteritas, si fors legeris in eruditissimo sui saeculi scriptore, Adm. Reverendo patre Martino Szent-Iványi e Soc. Jesu, quem dum Tyrnaviae studuissem, loco parentis semper colui: Ladislaum vajvodam illum, qui e capite Ottonis Bavari angelicam coronam excussit, et ad coronationem Caroli I restituit, fuisse ex illustrissima familia Csákiorum. Nam quod ex hac illustrissima familia plures non fuerint vajvodae Transylvaniae, non nego, quin imo scio; hunc tamen Oporium fuisse, sequentes rationes evincunt: continua traditio majorum ad hunc usque diem in hac terra; certissima majorum relatio, a quibus meis auribus audiui, quod certo certissime audiverint a majoribus, qui propriis oculis aspexerunt in lapide inciso ad frontispicium arcis Bálványos titulum Ladislai Oporii vajvodae Transylvaniae; tertio: saepissime audiui a majoribus meis, praecipue Comite Stephano Apor et Andrea, quod inter litteras, ut superius vidisti, per patruelem meum Lazarum Constantinopoli deperditas exstitisse quasdam litteras ipsius Ladislai Oporii vajvodae. Quae rationes certo evincunt, Ladislaum illum vajvodam non Csákium, sed Oporium fuisse. Crediderim, eruditissimus scriptor eruerit conjecturaliter ex antiquis rudibus Hungariae: sed si quis scriptores nostros varios legerit, certo videbit, quod tam in chronologia, quam in nominibus majorum inter se digladiantur, prout jam etiam aliquos legi, qui dictum eru-

ditissimum scriptorem corrigunt; an vere? lectori dijudicandum relinquo. Certiores ergo meas dictas rationes nemo ambiget.

Neque te conturbet, posteritas, quod post Ladislaum vicecastellanum Viennensem nullum altius officium gerentem ex familia tua apposuerim, sed quod neque ante illum, praeter dictum Ladislaum. Nam, ut vidisti, in omnibus opere et veritate volui procedere, monere te tamen volo solam posteritatem, ne in oblivionem deveniant ea, quae a majoribus audivi, quod nostri majores mihi certo retulerunt sequentia:

Primo: fuit quidam Ladislaus in familia nostra maximae sanctitatis, qui quotiescunque templum ingrediebatur, toties fores templi per se aperiebantur ipsi. De hujus sanctitate quamvis multa audiverim, non tamen recordari possum, cum puer audiverim. Secundo: tantarum possessionum fuisse praedecessores nostros, ut usque Budam nonnisi in duobus locis erat ipsis condescendendum in bonis alienis; hoc confirmari potest duobus argumentis. Primo: vix annus, dum quidam civis Debreceniensis mihi curavit significari, quod exstent apud illum certae literae quatuor pagorum familiam Aporianam concernentium in Hungaria, de quibus si participabitur, literas tradet; utinam has literas vita mea habere possim! Secundo: exstat in Cosmographia Ungariae Marchionis Coloredonomen oppidi cognominis. Et certo si tanta bona possederunt, certum est, quod etiam officia non minima gesserint, quae injuria temporum oblitteravit.

Sed ne hoc te conturbet, posteritas, quod post dicti Ladislai, vicecastellani Viennensis usque ad Lazarum secundum familiam tuam nullum officium supremum gessisse legas. Nam deficiente Ladislao,

Alexander juvenis mortuus est, ex post vero familiae transylvanicae plurimae (salva permanente dignitate et antiquitate plurimarum illustrissimarum familiarum) per favores Arii, Lutheri et Calvinii promotae et possessionatae fuerunt, et quidem per favores Calvinii viva nostra memoria, per Arii vero testis est Istvanffius, Libr. XXIV. folio 337. Cum vero omnes nostri majores in apostolica fide sancte permanserint, favores eorundum non sunt consecuti; Michael vix vitam servare poterat sub Joanne II de Zapolya, sub quo occultissime divina in cellariis fiebant, ut superius.

Andreas, vir ferocis genii, quamvis honestissimo matrimonio junctus, ut verum fatear, ad officia minus aptus fuit; habuit tamen quosdam fratres, inter quos vidisti superius inter duces Bekesio adhaerentes contra Stephanum Báthorem fuisse et Nicolaum Apor; sed praeterea videbis inter literas nostras relatorias antiquas, reliquos Aporios plenis turmis (literae ponunt: exercitibus) insurrexisse contra fideles Báthorios, hinc propria culpa sub principibus catholicis caruerunt officiis, nam crediderim, quod Christophorus et Sigismundus Bathorei, successores Stephani, acta Apriorum mente revolvebant. Pereunt quinque Aporii, ut in cathalogo vides, cum Moyse Siculo in campis Barzensibus; avus vero meus, Lazarus, natus anno 1595, ad officia nondum aptus usque ad tempora Gabrielis Báthori inclusive; sed etsi aptus fuisset, quam crudeliter cum catholicis egerit princeps Gabriel Báthori, lege libellum Claudiopoli anno 1780 impressum sub titulo: „Gabriel Báthori,“ sub quo et sacerdotes catholici Transylvaniam intrare vetiti, et magnates Transylvaniae falsi criminis insinuati, injustis-

sime gladiis feriebantur, quin imo per eundem idem cruentus gladius Superintendenti calviniano transmissus, ut eodem saeviat adversus catholicos. Ubi ergo spes promotionis catholicorum sub hoc principe? Nullibi. Felicior paulisper dies catholicis illuxit sub principe Gabriele Bethlen, sub quo, et sub sequente principe Georgio Rákóczi, avus meus cum Sigismundo Mikes, Stephano et Ladislao Kálnoki vice officium gessit; cur? videbis superius in deductione familiae; dum tamen cum Sigismundo Mikes, qui ad magna evaserat, et hic promotionem sperat, mors intempestiva eundem rapuit. Illuxit tamen dies Aporiis serena in duobus ejus filiis, Lazaro et Stephano, reliqui enim in juniore aetate mortui sunt, qui qualia gesserint officia, superius videre poteris. Nec mihi quidem sol plane Aporianus in nubem abiit; luxisset fors clarius, ni peccatum primi hominis in aliquorum cordibus regnasset. Age ergo, posteritas, orto jam tantisper sole rursum Aporiano, ne patiaris eundem iterum eclipsim pati.

Nota valde bene.

Observa hic posteritas: legas omnes historias gentis hungaricae, quas ego (quos tamen ego historicos inveni, omnes perlegi), et observabimus: antiquissimas familias, et de republica quondam optime meritas, hodie jacere sub cineribus, aliquas humiliatas iterum elevatas sub principe quovis aut rege, novas iterum per virtutes erectas. Miraberis, quare? noli mirari. Opus hoc Excelsi est. Magnatum filii spem collocant in divitiis et sanguine majorum, hinc desides in arduis, otiosi, negligentes, laborum contemptores. rerum suarum imperiti, litterarum inscii, inter fustum

et coelum torpent, ante tempus se conjugio implicant, lectione librorum non delectantur, studia honestarum artium contemnunt, conversationes cum se majoribus non exercent, sed cum nauci flocci hominibus tota illorum conversatio est, et proh pudor! more Sardana-pali, tota talium recreatio et conversatio inter gynae-caei consilia, foemellarum et puellarum quasi captivi, frigoris, aestus et inediae intolerantissimi, tamquam cincinnati trossuli se ornant, vestium luxus, famulorum non necessaria multitudo, comessationes ferculorum varietatibus, potationes diversi vini generibus, cum parasitis et helluonibus frequentia convivia, choreae crebrae, verba obscoenissima, musicorum varietas, canum quasi nec numerus, equorum sine necessitate copia, uno verbo divitiis apponunt cor, ita, ut etiam Dei obliviscantur. Observant enim sancte verba Scripturae Sacrae: „Venite, fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura, tamquam in juventute celeriter; vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra; nemo vestrum exsors sit luxuriae nostrae, ubique relinquamus signa laetitiae, quoniam haec est pars nostra et haec sors.“ (Libr. Sapientiae I. v. 6—9). Secundo: Pretiosa tempora, quibus oeconomia exercenda esset, inanibus venationibus consumunt, nec introitum, nec exitum proventuum considerant, rident dum monentur communi illo proverbio: sumptus ne superet census; non solum non observant illud Senecae: „Emas non quod opus, sed quod necesse“, sed praeter id etiam, quod opus: opes ipsorum et pecunia, tamquam ex cribro aqua, effluit, et ultimo posteritas ipsorum sic ad ultimam miseriam

redigitur. Lege, lege Bonfinium sub gloriosissimo Marte Ungarico Matthia Corvino: non sic, non sic praedecessores nostri agebant; leges ibi virtutem gentis Ungaricae, a qua, proh dolor! quantum recessimus. Et quia qui ex humili sorte et hodie eluctantur, antiquorum praedecessorum vestigia observant et omnia contraria agunt Magnatum filiis, sicut superius recensui, non mireris, si ex infimo statu in summum evehantur, ab alto vero Magnatum filii deprimantur, ita, ut jure merito Magnatum filiis insultare possint: familia mea in me incipit, in te deficit. Possem plurimas familias recensere antiquissimas, quarum majores prudentia, scientia, arte militari, divitiisque inter Magnates Hungariae ut sidera claruerunt, hodie quasi in centro terrae obscurantur; possem familias enumerare, quae proxime praeteritis duobus seculis et arte et Marte claruerunt, et sic ad summa exaltatae sunt; possem quae per haereses, fraudes, aliorum oppressiones, vulpino more se extulerunt; possem quae humiliatae iterum revixerunt: sed consulto praetereo, ne quibusdam adulari, aliis injurius esse appaream. Sufficit meae posteritati videre in deductione genealogiae et nostram familiam subinde humiliatam, subinde erectam fuisse, nobilitatem tamen, quam ex Scythia extulerunt, nunquam hactenus amisisse, nec amittere, si declinabunt ea, quae superius de delicatis Magnatum filiis recensui, utque ea non sectentur posterī, paterne hortor.

P. S. Ego Ladislaum Csáki primo anno 1424 sub Sigismundo imperatore (patet ex Decreto ejusdem in Jure Hungarico) invenio vajvodam Transylvaniae fuisse, Ladislaum vero Oporium² sub Othone et Carolo I, ad annum 1308 vajvodam fuisse notavi. Et

certo qui B. Mauritium, ordinis Praedicatorum in Insula Leporum anno 1308 floruisse scribunt, scribunt eum fuisse ex illustrissima familia Csákiorum, Mauritium Csáki nuncupantes. Certum est inter reliquos vitae suae annos annis 1308, 9 et 10 floruisse et Ladislaum vajvodam; ostende ergo saltem ex unico analium ungaricorum scriptore, quod iisdem annis Ladislao vajvodae additum fuisset cognomen illustrissimum Csáki; nec repone: neque additum fuisse cognomen Opor, nam evincunt rationes superius allatae alium non fuisse.

Haec de Familia Aporiana recenter habeo.

Hoc anno 1731, die 12-a Decembr. vidi antiquissimas litteras annorum quingentorum, lectu quidem difficillimas, ast labore tandem adhibito a me lectas, in quibus vidi ante annos jam quingentos pagum Bodola cum annexis in Cottu Albensi, processu superiori, Aporios possedissee, et inter reliqua haec apponi de Siculis de Kizdi, de Torja, omisso nomine Opor, et tantum nobis tribuisse nomen: Siculide Kizdi, de Torja, prout etiam in litteris ex Capitulo Albensi exceptis ad annum 1311 videre poteris. Haec ideo, quod si alicubi, vel apud antiquos historicos vel scriptores, aut in litteris videris quempiam poni de Siculis de Kizdi: scias illum, posteritas, de familia nostra Aporiana fuisse, nam alicubi nec apponitur Torja. Sic ergo ex hac ratione et Petrus ille, in genealogia nominatus progenitor noster, ex hac ratione omisso cognomine a Bonfinio nominatur Petrus Siculus, vel, ut habet: „Petrum et Ladislaum Siculos mortem oppetiisse.“

II.

SYNOPSIS

MUTATIONUM NOTABILIORUM

AETATE MEA IN TRANSYLVANIA,

ET

PROGRESSUS VITAE MEAE.

**Ipse mutat tempora et aetates, transfert regna,
atque constituit.**

Daniel 2. v. 21.

Anno 1676 (in quo 3-a Junii hora 12 meridiana natus sum) serenitate existente orientem inter et occidentem, Transylvania etiam sub principe Michaelē Apaffi visa erat pace frui, si tamen pace frui ibi posset, ubi est gemitus sub jugo turcico, sub quo et Transylvania tunc gemebat; hostis tamen domesticus, scilicet immissa a Deo pestis, mirum in modum grassari coepit, et eodem anno 2-a Decembris parentem, Joannem Apor peste extinctum amisi; amisi praeterea mox aviam, Lazari Apor senioris viduam, Juditham Imecs; mortuus similiter Comitis Stephani Apor filiolus Ladislaus, quatuor annorum.

Anno 1677. Eadem pestis vastabat Transylvaniam. Eodem anno mors rapit tutorem meum, Wolfgangum Apor et Franciscum, Francisci Apor senioris filium.

Anno 1678. Paulus Béldi de Uzon, videns extraneos prae indigenis in majori pretio esse apud Michaelē Principem Apaffi seniore, eosdemque promoveri, primo querelis pulsat principem, et accipit resolutionem annualis carceris, ex quo erga fidejussores liberatus, dum se purgare per testium fassiones nititur, adversariorum minas subodorans, assurgit, et praecipue Sedium Siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvár incolas sibi associat, qui tamen

officii admoniti a dicto principe, arma deponunt, Paulus Béldi ad portam Otomannicam confugit, quem inter reliquos sequuntur : C. Ladislaus Csáki, Lazarus Apor, Christophorus Pasko, Valentinus Kálnoki. Sed cum indignitate rei moti, plures Magnates Béldio consensissent, aliqui carcere et bonis mulctati sunt, inter quos Nicolaus Bethlen, Samuel Keresztesi, qui tamen postliminio erga obsides liberati sunt. Baro Joannes Haller, quamvis Béldio non adhaesit, quia tamen minus decenter de Principe scripsisse visus sit, Fogarasini quatuor annorum carcerem sustinuit; Baro Georgius Kapi vero et Stephanus Lázár (indignum auditu christiano), compedibus ferreis vincti, in carcere mortui, in iisdem compedibus sepeliuntur. Sequebantur Béldium plures ex nobilitate transylvanica, quos enumerare longum esset. Paulus ergo Béldi querelas quidem in Porta promovere non cessabat, quia vero contra eundem a Principe missierant Constantinopolim Wolfgangus Bethlen, Clemens Mikes et Stephanus Apor, purpuratosque devinctos auro et argento in Divanum cogunt, in quo Paulus Béldi cum sociis in Septem-turres condemnatur, unico Lazaro Apor tunc ope Clementis Mikes, sui consanguinei, et fratris Stephani Apor, rerum futurarum consciis, per stratagema liberato. Successu temporis Paulus Béldi a Ladislao Székely, Principis ablegato ad Portam, intoxicatur, in Septem-turribus moritur. C. Ladislaus Csáki, ex industria quorundam christianorum, beneficio navis christianae occultatus, liberatur; arx Pauli Béldi Bodola, disjicitur, bona amplissima Fisco cedunt, ex quibus fere omnes Magnates, sed vel praecipue familia Bethleniana, participant, vix aliqua parte bonorum haeredibus relicta.

Stephanus Apor fit supr. tricesimarum Transylvanicarum arendator.

Anno 1679. Paulo Bældio a Porta Ottomannica promittitur principatus Transylvaniae, si augeret tributum certosque dies populationi in Transylvania concederet : sed ille memor patriae suae, maluit in carcere mori, quam cum hac perpetua nominis sui ignominia principatum adire et patriam suam perdere.

Anno 1680. Visus est ingens cometa, quem et ego puer vidi. Transylvani exeunt adversus Caesarem sub Generale Michaele Teleki, et prope Szathmarinum ad pagum Batiz vapulant a Germanis, vix Telekio se salvante.

Anno 1681. Princeps Michael Apaffi a Porta Otomannica constituitur exercitus Szerdar, idest supremus belli ductor, et Böszörmény, in Hungaria oppidum Hajdonicale, obsidet, expugnat, loci gubernatore, Gabriele Nagyszegi secum in Transylvaniam deducente. Coronae ad terrae motum campanae sonum ediderunt. Ego initium alphabeti feci.

Anno 1682. Revocavit Porta Athnamesive privilegium, in quo princeps Apaffi constitutus fuit szerdar ; et szerdar constituitur purpuratus Budensis, qui una cum dicto principe Apaffio et Emerico Tököllo arcem Filek obsident, quam praeter voluntatem loci gubernatoris C. Stephani Kohári praesidiarii dedunt, quos turca liberos permittit, gubernator tamen trium annorum carceris squallore punitur, quod Tököllo solum Comitibus, non Principibus Hungariae titulum tribuerit ; arx disjicitur.

Anno 1683. Mahumet VI, turcarum imperator supremum purpuratorum principem ad expugnandam urbem Viennam Austriae Kara Mustafa passam expedit cum aliquot centenis millibus hominum, Transylvanis etiam ut adsint cum suo principe, mandat, qui tamen ad custodiendum pontes, Arabonem majorem inter et minorem, disponuntur, et postquam Princeps paucis suorum stipatus, vezirium ad Viennam visitasset, redivit. Et postquam immanis haec barbaries a christiano exercitu profligata fuisset, transylvani salvi in patriam redeunt.

Lazarus Apor fit supr. capitaneus sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászón, ut et regni protonotarius. Ego legere incipio.

Anno 1684. Michael II Apaffi in principem Transylvaniae eligitur, a Porta confirmatur, et per passam eidem vexillum et sceptrum mittitur, quae sinistro omine sunt adducta. Nam ipso die pompae, quo haec insignia tradi debuisset passa inter reboatus tormentorum, unum de novo fusum a vi pulveris nitriati rumpitur, magistrumque tormenti interimit.

Hoc anno erat summa fames in Moldavia, moldavi turmatim exhibant in Transylvaniam; cubulus tritici per quatuor metretas valebat 8 florenos; sed in hac patria fames non erat. Ego declinationes inchoo.

Anno 1685. Nascitur Augustissimus imperator Carolus VI, qui primus principis Transylvaniae titulum assumere jure haereditario non est dedignatus. Exmittuntur a principe Michael Apaffi seniore ad conscribendos sículos commissarii Michael Teleki et Clemens Mikes, aguntque transylvani cum augustis-

simo imperatore Leopoldo, ut Transylvania, excusso jugo turcico, redeat ad coronam Hungariae. Stephanus Apor fit Supr. Judex Reg. Sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon.

Anno 1686. Generalis caesareus C. Schaffenberg cum militia aestivat ad Claudiopolim; Princeps cum magnatibus Cibinium se recipit; advenit legatus turcarum imperatoris. Sedis Marus et Aranyas militia, sub commendo B. Ladislai Gyulaffi et Stephani Toroczkaï, per C. Ladislaum Csáki caes. Generalem vapulat sub Cibinio, quae actio ex professo fuit instituta, ut ostenderent, non posse resistere militiae caesareae; quod videns turca, et prout fuit res subodorans, exprobrat transylvanis. Expost Generalis Schaffenberg cum militia exit sub Budam. Buda eo anno capta, etquidem ea die, 2-a Septembris quo die anno 1541 turca a christianis subdole occupavit, notatu dignum. Generalis vero Fridericus Comes Veterani ad hibernandum venit in Máramaros, cui ex parte Transylvaniae adjunguntur commissarii: Samuel Kálnoki et Paulus Mikes de Zágon. Cibinii vero ob correspondentiam cum Tökölö arestantur compedibusque vinciuntur Laurentius Pekri et Joannes Daczo, supr. capitaneus Sedium siculicalium Csík utriusque Gyergyó et Kászon.

Hoc anno missus sum Claudiopolim ad scholas, et inchoavi a minori parva. Stephanus Apor fit Tabulae Reg. Judiciariae assessor. Mittitur Viennam extraordinarius legatus ad Caesarem B. Joannes Haller, qui de re-unionem Transylvaniae cum corona Hungariae certis legibus ageret; qui in tanta aestimatione fuit ante imperatorem Leopoldum, ut idem praefatus

Augustissimus etiam postquam in Transylvaniam redivisset, propriis manibus eidem scribere non sit dignatus, quas litteras soli vidimus. Michael Teleki senior creatur Comes Sacri Rom. Imperii.

Anno 1687. Militia caesarea, duce serenissimo Lotharingiae Duce Carolo, in Transylvaniam ingreditur. Princeps Michael Apaffi cum regnicolis Cibinium se confert, ex consensu tamen Principis omnes urbes militiam caesaream pro praesidio recipiunt, excepta Corona, quae etsi tributum pendere se promiserat, recipere tamen praesidium recusavit; quibus ad persuadendum a Principe missus Stephanus Apor, cum quo et ego, puer undecim annorum praesens fui, egit, et multis rationibus ad obediendum Principi stimulabat; verum nihil profecit, sed obstinati in proposito persistebant, famuli vero Stephani Apor, qui propius domum consultoriam accesserant, in praesenti vitae periculo versabantur, nisi a fidis amicis admoniti, in tempore fuga salutem quaesivissent.

Curiosum quid tunc contigerat. In domo tricesimatoria a catulo servabatur lupus totus cicuratus (dictus Stephanus Apor existens omnium tricesimarum supremus arendator), cum quo ut cum cane ludebamus, et ut canis blandiebatur; contigit quodam die dominico, dum dictus Stephanus Apor ex missae sacrificio exivisset, lupus proprio instinctu ingreditur templum majus urbicum, sedetque ad altare, in quo supra modum ejulare incipit; descendens ex altari, ac si rabidus canis, pergit contra cathedram, in qua praedicans actu concionabatur, qui lupum se aggredientem conspicatus, ex cathedra, reliqui vero auditores ex templo fugere incipiunt, eo strepitu, ut alter ab alltero vix

non conculcaretur, quod nos videntes, magnam aliquam larmam adesse cogitabamus. Quod pro malo omine interpretabatur, ut paulo inferius evenit. Sed et militia dicta caesarea ingressa in tantum famelica, ut sepeliendis sociis vix sufficerent; multorum cadauera canibus exposita conspiciebamus.

Hoc anno Transylvania per Michaellem Teleki, Nicolaum Bethlen et Stephanum Apor, legatos coram Generale caesareo Josepho Comite a Karaffa, augustissimam domum Austriacam, juxta articulum Hungariae hujus anni, haereditariam recipit.

Anno 1688. Temeritatem obstinati animi solvit Corona; nam dum obedire non vult, armis caesareis, duce Friderico Comite Veterani, armisque Principis, duce Michaelle Teleki, obsidetur, dumque ad arcem ignitae aliquae bombae injectae fuissent, se dedunt, primariorumque obstinatorum capita deponuntur, aliqua ad portam arcis, unum in foro palo infigitur, quod non ita pridem est inde depositum. B. Ladislaus Gyulaffi cum stipendiariis Transylvaniae militibus expeditur contra turcam, et se conjungit Generali caesareo Comiti Heisler ad Orsovam. Mittuntur a principe Michaelle Apaffi seniore legati Viennam Gregorius Bethlen et B. Ladislaus Gyulaffi, ad homagiale obsequium Augustissimo imperatori Leopoldo deponendum.

Anno 1689. Tota urbs Corona conflamat, excepto moderno templo Soc. Jesu, una alterave domo. Supposito igne incendium ortum suspicantur, cum pluribus in locis simul ignis eruperit, et nunc vaticinium de supra fato lupo impletum dicebant. — Hoc

quoque anno similiter expeditur B. Ladislaus Gyulaffi.

Anno 1690. 15-a Aprilis regnans princeps Transylvaniae I. Michael Apaffi moritur Fogarasini. Eodem anno Emericus Tököli, ungaris, turcis et tartaris stipatus invadit Transylvaniam, cui 20-a Augusti cum exigua Germanorum et Transylvanorum manu occurrit caesareus Generalis Donatus C. ab Haisler, item Michael Teleki Generalis Transylvaniae, sed a multitudine obruuntur. Generalis Haisler, colonellus Marchio Doria captivantur, Generalis Teleki et Generalis Norquer in loco caeduntur, et Generalis caesareus Magni in vulnere usque pagum Hermány Districtus Barczensis se salvat, sed ibi quo mortis genere mortuus, varii varia narrant. Manse-
runt praeterea in loco tam officiales caesarei, quam proceres et nobiles Transylvaniae plurimi. Post conflictum magna pars Transylvaniae adhaeret Tököl-
lio, juvenis tamen princeps Transylvaniae II Michael Apaffi se confert Claudiopolim, et ibi in fidelitate Augustissimi imperatoris substitit. Cum quo hi proceres erant : Georgius Bánffi, ex post Gubernator, B. Joannes Haller, Nicolaus Bethlen, Alexius Bethlen, Gregorius Bethlen (arcem Fogaras a Tököl-
lio conservaverat), Stephanus Nalácz, Ladislaus Székely, consiliarii, B. Ladislaus Gyulaffi, Stephanus Apor, B. Stephanus Haller, Michael Mikes, Ladislaus Mikola, Georgius Gyeröffi, Benedictus Serédi, Emericus Jósika, Ludovicus Nalácz, Paulus Rhédei, Sigismundus Korda, Ladislaus Gyulai de Várad, et aliquot alii. Ego, puer 14 annorum, in periculosa infirmitate decumbebam Claudiopoli. A fidelibus ergo his, qui

Claudiopoli fidem regi servabant, pro suppetiis Vienne nam missus erat ad Augustissimum imperatorem Leopoldum Nicolaus Bethlen, qui non solum succursum, verum, defuncto principe, et Diploma patriae impetravit (quod tamen ex post Petro Alvinczi ablegato fuit interpretatum Viennae, qui et instructiones cardinalium officialium, puta gubernatoris generalis, cancellarii, thesaurarii, et praesidentis secum attulit). Impetrato ergo auxilio, ordinibusque datis serenissimo principi Ludovico Badensi, eidem obviam mittitur Michael Mikes, qui praefatum principem cum succursu in Transylvaniam comitatus est, per eundemque principem Tökölus ex Transylvania expulsus, secum abducit plurimos dominorum et viduarum, quorum aliqui post 5, 6 annos et plures patriam videre potuerunt.

Eodem anno Galga Szultan a partibus Váradensis Transylvaniam cum 80 millibus invadit; magnam partem Transylvaniae comburit, depopulatur, ad Claudiopolim considet, et in velitationibus multos Claudiopolitanorum caedit. Verum et is expulsus est per dictum serenissimum principem Ludovicum.

Hoc anno primo ingrediuntur Patres Conventuales in Transylvaniam, et primo sub nomine Missionariorum ponunt se ad pagum Esztelnek, mox se conferunt in Kanta, et monasterium incorporant provinciae S. Elisabeth in Hungaria.

Anno 1691. Status Transylvaniae homagium fidelitatis deponunt Augustissimo imperatori Leopoldo Claudiopoli juxta pacta anni 1687, coram Josepho Comite Karaffa. Locustae plurima damna faciunt in Transylvania. B Josephus Haller Tergovistiae in

Valachia ex mandato Tökölíi indigne trajicitur, quare et turca ideo Tökölío indignatur.

Anno 1692. Augustissimus imperator Leopoldus erigit Gubernium in Transylvania, constituto Gubernatore B. Georgio Bánffi de Lossonecz; consilarii creantur : idem Georgius Bánffi, B. Joannes Haller, simul et thesaurarius, Stephanus Naláczí, quondam principis Michaelis Apaffi aulae magister, Gregorius Bethlen, simul et Generalis, Nicolaus Bethlen, simul et cancellarius, Alexius Bethlen, B. Ladislaus Gyulaffi, Ladislaus Székely de Boros-Jenő, simul et praesidens, Georgius Gyerőffi, Joannes Toldalagi, Joannes Sárosi, Valentinus Frank, judex Reg. Cibiniensis et nationis saxonicae comes.

Dum hi Cibinii constituuntur, variae disputationes etiam fiunt circa religionis apostolicae romano-catholicae pristinam libertatem restituendam, cui dum a tribus aliis Transylvaniae religionibus offerretur templum Claudiopopolitanum in veteri civitate cum adjecto monasterio, et Albae tunc Juliae nunc Carolinae templum a Christophoro principe Báthori aedificatum, responderunt catholici : hoc ultimum praeterea etiam ipsorum est, quod etsi desolatum sit, aedificatum tamen a principe catholico propriis sumptibus, nullus adhuc ipsis rapuit; primum etiam acceptare noluerunt, nolentes juri suo cedere, quod vi Diplomatis prima fronte videbatur conculcari, in quo dum de religionum negotio fit mentio, additur : *Contradictionibus nunquam valituris*. Hinc in hac parte re infecta discedunt, sed pro explicatione Diplomatis delegatur Viennam Petrus Alvinczi regni protonotarius.

Notatu dignum : Ladislaus dictus Székely Regni Praesidens eodem anno moritur, cui ad umbilicum, miro Dei judicio a stomacho foramen aperitur, per quod (salvo omnium legentium respectu) omnia excrementa exhibant, et quamvis variis unionibus aliisque pretiosis medicamentis satis superque fuit provissum, moriendum tamen illi fuit. Multi illo tempore poenam Dei fuisse narrabant, ut qui Byzantii Paulum Béldi intoxicaverat, etiam miserabili morte periret. Audivi tunc puer, dum ipsi objiciebatur, cur veneno sustulerit Paulum Béldi, negativam non dabat, sed respondebat : quacunque arte possum mei clementis principis inimicos perdere, certo perdam. Successit illi praesidens regni Alexius Bethlen, et in consiliariatu Samuel Keresztesi. Laurentius Pekri fit Comes. Locustae rursum plurima damna faciunt.

Anno 1692. Per captum a Christianis 5-a Junii Váradinum, magna securitas Transylvaniae redditur.

Anno 1693. Hoc anno moritur Joannes Toldalagi, cui in consiliariatu succedit Michael Toroczkai. Jam tandem accepta Diplomatis interpretatione, acceptat status catholicus templum cum monasterio Claudiopoli, jam a seculo fere privatus templo publico, et occupat. Similiter acceptat templum Báthoreum Albae Juliae nunc Carolinae, Suaeque Mattas SSmae Academiae Claudiopolitanae restituit foundationem regis Stephani et Christophori Báthoreorum, quin imo certis bonis et decimis auget non solum Claudiopolitanos, verum Albenses et Udvarhelyienses, ad facilius instruendam juventutem, simulque vicario generali Transylvaniae et monasterio Kantensi a Stephano

Apor fundato donat decimas pagi Kacza. B. Ladislaus Gyulaffi creatur Comes, Stephanus vero Apor et Michael Mikes fiunt Barones sub augustissimo imperatore Leopoldo. Ego absolutis Claudiopoli humanioribus, ascendi Tyrnaviam ad studia philosophica et iuridica. Jam dictus Baro Stephanus Apor hoc anno installatur supr. etiam capitaneus sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon. Locustae, prout et anno superiori, magna damna causant. Hoc anno 1693. incidit pascha in diem 22-am Martii, quo termino citius celebrari non potest. Anno 1693, fors nunquam antea, hoc anno in templo Kolosmonostoriensi fuit producta proemialis comoedia, praesentibus magnatibus et statibus regni, in qua, in rhetorica, duo prima proemia accepi.

Anno 1694. Tartari irrumpunt in sedem Csík, eam vastant, depopulantur, comburunt, duabusque subsequentibus diebus alii aliis succedentes; plurimos, tam ex nobilitate, quam ex plebe, captivos abducunt. Moritur Georgius Gyerőffi, consiliarius, cui succedit B. Stephanus Apor.

Anno 1695. Generalis caesareus Fridericus Comes Veterani ad Lugos et Karánsebes vix cum septem millibus christianis configit cum tota potentia Orientis, praesente ipso imperatore turcarum, solus aggressus turcam, cum quo dum aliquot horis pugnasset, octiesque viriliter repulisset duodecimque millia turcarum occidisset, in nono assultu lethale vulnus accipit et capitur, apudque turcas moritur. Generalis vero Truchses, vix mille quingentis ex caesareanis desideratis, exercitum in Transylvaniam reducit. Sed

tamen in Transylvania ob imminentes turcas magna fit trepidatio.

Hoc anno Samuel Kálnoki a statibus Transylvaniae mittitur Viennensem ad aulam, et fit primus cancellarius Transylvanicus. Ego vero ero primus baccalaureus philosophiae Tyrnaviae. Visitavi Viennam. Michael Száva fit Baro.

Anno 1696. Magnus metus in Transylvania ob intensionem Sultani eam ingredi volentis, qui tamen, confligens cum duce Saxoniae et Donato Comite ab Haisler, recedit. Hoc anno Georgius Bánffy fit Comes. Tota familia Bethleniana de Bethlen Barones, item Stephanus Apor et Michael Mikes fiunt Comites. B. Joannes Haller, transacta sancte et pie vita, in bona senectute renunciat officiis thesaurariatus et consiliariatus. In thesaurariatu succedit C. Stephanus Apor, in consiliariatu ejusdem filius B. Stephanus Haller. Ego absolvo philosophiam Tyrnaviae, creor primus magister; per triennium utrique juri studui, et hoc anno in Transylvaniam redivi. Moritur Alexius de Bethlen, praesidens, apoplexia tactus Carolinae, cujus officium supplet Samuel Keresztesi; sed mox a Sua Matte praesidens regni constituitur B. Stephanus Haller. Moritur et Stephanus Nalácz. C. Stephanus Apor fit supr. comes Cottus Thordensis.

Anno 1697. Duplex metus in Transylvania; alter ob Francisci Tokaji rebellionem in Hungaria, qui clam aliquot fortalitia ceperat, et multos sibi conciliaverat, alter ob imminensem turcam, qui certo erat una cum Sultano intensionatus Transylvaniam invadere. Sed utroque mox liberati sumus; nam et Fran-

ciscus Tokaji per milites caesareanos et aliquot Comitatus dissipatus est, et turca ad Zentam a serenissimo principe Sabaudiae Eugenio profligatus est, amissis 24000 millibus janicserorum. Hoc anno cum quatuor templis, duobus collegiis et magna etiam exterorum bonorum jactura conflagravit Claudiopolis. Samuel Kálnoki fit Comes. Eodem hoc anno C. Georgius Bánffi gubernator, C. Nicolaus Bethlen cancellarius, et C. Stephanus Apor citantur Viennam ad negotia regni tractanda. Hoc anno primum ingreditur in Transylvaniam episcopus Transylvaniae Andreas Illyés, et moritur B. Joannes Haller senior.

Anno 1698. Praefati domini redeunt Vienna circa festa pentecostalia. Moritur Gregorius Bethlen regni Generalis, cui succedit C. Ladislaus Gyulaffi.

Anno 1699. Fiunt comitia Schesburgi, in quibus B. Emericus Jósika, ob quandam suspicionem, ex mandato Generalis C. Rabutin capitur, ex qua tamen se purgavit. Ero regalista. Redditur tranquillitas Transylvaniae per pacem Carloviczensem inter augustissimum imperatorem Leopoldum et turcarum sultanum. Moritur C. Ladislaus Gyulaffi Generalis, cui succedit C. Stephanus Apor. Contraho matrimonium, infeliciter, voluntate magis aliorum quam mea, quamvis in nuptiis meis Viennae celebratis delegatus Suae SSmae Mattis Leopoldi praesens fuerit Cardinalis Kollonicz, ex parte vero Reg. Mattis Josephi episcopus Nytriae, Matthasovszki, regni Hungariae cancellarius, quinque principes, et totum fere ministerium caesareum intimum aderat, prout et musici Suae SSmae Mattis. Item eodem anno incipit studium phi-

losophicum Claudiopoli sub primo professore Joanne Dévai e Soc. Jesu. Resolvor hoc anno die 5-a Septembris pro supr. comite Cottus de Küköllő. Imago Beatissimae Virginis Mariae in pago S. Nicolai ad Szamos-Ujvárinum lacrimas emisit, praenuntius calamitatum Transylvaniae, quae per insurrectionem Rákóczianam secutae sunt. Imago haec devote servatur in templo academico Soc. Jesu Claudiopoli.

Anno 1700. Celebrantur solennes nuptiae B. Stephani Vesselényi cum Comitissa Catharina Bánffi, Comitissae Georgii Bánffi Transylvaniae Gubernatoris filia, ad quas Suae quoque Mattes, Leopoldus et Josephus, dignatae erant suos ablegatos designare: Comitem Rabutin, Generalem Commendantem, et Generalem Leving, Commendantem confiniorum ad Coronam, quos tamen infirmitas impedivit quin comparerent. Hoc anno nata est filiola mea Rosalia. Baro Tavonat et Eckler consiliarii Camerae aulicae ad Transylvaniam veniunt ad res cameraticas investigandas, thesaurarioque transylvano multas molestias causant, et hinc fit initium directionis cameraticae per Camerae aulicae consiliarios. Item Societatis Jesu patres in propriis vestibis hoc anno primum ingrediuntur in Transylvaniam. Restaurat quoque C. Stephanus Apor Carolinae templum Soc. Jesu a Christophoro quondam Báthori aedificatum, quod prioribus annis jam inchoaverat, sed valde desolatum, ultimam ruinam minabatur; et illud reconciliavit Rev. Pater Franciscus Fogelmayer Soc. Jesu per provinciam Austriae praepositus Provincialis, qui cum patre Stephano Csákány, aequae Soc. Jesu, primi in vestibis societatis visitaverunt loca Societatis Jesu in Transylvania. Fiunt comitia Al-

bae Juliae, Comes Seau existens commissarius regius, proponit nomine Suae Mattis tributum unius millionis florenorum Rhenensium solvendum, quod difficillime fuit solutum. Et hoc erat maximum tributum Transylvaniae.

Anno 1701. Commissio Cameralis in locum Stephani Gyárfás Thordae constituit inspectorem seu praefectum salis Ignatium ab Haan (qui postea factus Camerae consiliarius et per Transylvaniam supremus rei cameralis director). Et in hoc irrepserunt germani ad salis praefecturam, ita, ut hodie in nulla salis fodina praefectus sit hungarus. Franciscus Princeps Rákóczi II (ex cujus motu plurimae calamitates affligerunt Transylvaniam, ut infra) arestatur ob correspondentiam (ut dicebatur) cum rege Galliarum, ducitur ad Novam-Arcem Austriae, cum quo et aliquot procures Hungariae. Et ex Transylvania educitur arestatum Michael Vay. Comes Ladislaus Bercsényi salvat se in Poloniam. Introducor ut supr. comes in Cottum de Küköllő, introductoribus C. Laurentio Pekri et Sigismundo Korda. Nascitur filia Susanna.

Anno 1702. Dictus princeps Franciscus Rákóczi ex aresto liberatur opera uxoris suae, corrupto multo auro arcis praefecto; se recipit in Poloniam, prospicit de futuris motibus. In Transylvania, Albae tunc Juliae, nunc Carolinae inchoantur comitia die 15-a Januarii, et terminantur circa dies ultimos Maji, adeoque mea vita longissima. In his comitiis Joannes Sárosi consiliarius regni et protonotarius regni arestatum, quod fuerit accusatus crimine falsi. Nimirum dum an-

no superiori Athanasius, ritus graeci episcopus, uni-
ens se cum ecclesia romano-catholica, introductus
fuisset, ut a SSma Sua Matte Leopoldo confirmatus
ejusdem ritus episcopus, in templum valachicum Ca-
rolinense ex mandato praefatae Suae Mattis per C.
Stephanum Apor, illique introductioni graeci contra-
dixissent et protestati fuissent, quod scilicet illam
contradictionem et protestationem contra praefatae
Suae Mattis intentionem authentice sub sigillo Suae
Mattis extradidisset; qui tamen Viennae per dictam
Mattem absolutus est. Visi hoc anno sub specie praedo-
num hinc inde aliqui in rubris indusiis, qui tamen
nullum damnum inferebant. Natus est filius meus
Stephanus primus. Gliscit fama motus Rákócziani;
praesidia magasinis augentur. Apparent Carolinae
volatiles insolitae, majores passeribus.

Anno 1703. Franciscus Princeps Rákóczi et
Comes Ladislaus Bercsényi egrediuntur ex Polonia,
incipiunt hostilitates, perveniunt usque Debreczinum,
inde obsident Szathmarinum, et capiunt fame. C. Sa-
muel Bethlen cum 1000 Siculis ad invigilandum moti-
bus inimici mittitur circa Válaszút, et a maleconten-
tis hungaris dissipatur; cujus in locum ad Bonczida
mittitur Stephanus Toroczkai aequè cum 1000 Sicu-
lis, quos invadit Paulus Olosz, malecontentorum
Generalis, et Toroczkai, viribus impar, dissipatur.
Cujus in auxilium dum advolat caesareus supremus
vigiliarum praefectus regiminis cataphractorum Stein-
villiani, Baro Sellein cum 400 germanis, certa hunga-
rorum manu, duce Gregorio Hatházi, et certis rasci-
anis sub centurione Ráczy Gyurka dicto, maleconten-
torum multitudine obruitur, cum paucis germanis se

salvans Claudiopolim; levioris armaturae hungari et rasciani, ut plurimum, se salvarunt. B. Michael Száva cum caesareo subtribuno regiminis desultoriorum Comitibus Ulfeld Comite a Kosta mittitur in Cottum de Zaránd, sed ibi dictus Comes Kosta a malecontentorum insidiis trajicitur et occumbit; militia reddit. Generalis Commendans C. Rabutin cum tota militia sub commando suo existente victualia infert Kővárinum feliciter. Comes Laurentius Pekri cum Comitatus disponsitur Balásfalvam, unde a malecontentis extrahitur et ad Rákóczium ducitur. Hoc anno proceribus et nobilibus solvenda imponuntur 100,000 florenorum; qui vel solvendo morosi, vel impotentes fuerant, contra illos executio militaris adhibita; multi vel preciosioribus mobilibus, vel certa bonorum parte vendita satisfecerunt impositioni. In Cottu de Küköllő et in Sede Udvarhely cum C. Laurentio Pekri ego eram perceptor dispositus. Multarum nequitiarum et occultae rebellionis poenas jure merito luit capitis diminutione in publico foro cum duobus famulis, tam ab universitate saxonica, quam a statibus regni condemnatus Joannes Zabanius, regius cibiniensis iudex et nationis saxonicae comes. Restauratio templi Tővissiensis et residentiae per Stephanum Comitem Apor consummatur, ibique ab eodem patres ordinis S. Pauli primi Eremitae fundantur, datis ipsis quinque millibus florenorum, mola et in territorio Carolinensi magno promontorio. Generalis Klikisperg cum 600 commendatis militibus caesareis a Generale Rabutin mittitur ad succurrendum Szathmarino, et a malecontentis ungaris includitur. Moritur Joannes Sárosi, Gubernii consiliarius, supr. provincialis commissarius et protonotarius, Carolinae.

Anno 1704. Accipio mandatum Gubernii, ut jam dissipato C. Laurentio Pekri, pergerem vel Medgyesinum vel Ebesfalvinum ad motus patriae observandos. Sed dum pro ordinibus et instructione mitto, et adhuc tabellarius abest, ante malecontentos debeo me salvare Coronam 15-a Januarii. Nam Stephanus Gúti, malecontentorum unus capitaneus, invadens Sedem Udvarhely, ad arma cogit; similiter Ladislaus Kereskényi, ejusdem farinae, in Csík et Három-Szék penetrat, ambas ad arma capienda concitat, et ad Coronam pagumque Hermány considerare facit; Udvarhelyienses vero cum fato Gúti ponunt se ad pagum Holdvilág, quos Baro tunc de Tige ex ordinibus Generalis Commendantis Comitis de Rabutin armis dissipat, et quia arcis Udvarhely commendans caesareus ante tempus tradiderat arcem Rákóczianis, praesens in hoc conflictu solus quidem evasit, ast multi praesidiarii capti, vario tormentorum genere Cibinii occisi sunt. Hoc nuncio sedes Háromszék et Csík arma deponunt, et fidelitatem jurant, rursum, tribus septimanis evolutis, insurgunt, et se ad pagum Hermány ponunt, in vere, superveniente caesarea militia, ad pagum Feketehalom caeduntur, plurimis desideratis. Confecto proelio et pontem Dobolyiensem superato, obvius quivis vir deprehensus a casareanis occiditur, quamvis paucissimi inventi sint, combustisque plurimis pagis in Sede Sepsi et Maxa, in reditu castellum Prásmár expilant, in quo pretiosissimis hungarorum rebus inventis, Cibinium militia onusta praedis redit. B. Tige cum caesareanis, toróczkaienses et enyedienses expilat, comburit et redit. Claudiopolim Generalis Stephanus Thoroczkai obsidet, tormentis quatit, Generalis C. Rabutin in subsidium venit, ma-

lecontentos in valle salinaria fundit et fugat, militiam caesareanam Claudiopoli educit, et secum Cibinium ducit; sed fideles caesarei per hanc militiae eductionem plurima damna in depositis patiuntur, et vel maxime domus Aporiana potest deplorare. Claudipolis malecontentis cedit, cedunt praeterea arces Görgény, Kövár, Déva, Hunyad, Bethlen; saxonicales civitates jam prius deditionem fecerant; remanserunt in fide caesaris solum Cibinium, Corona, Fogaras et Szamos-Ujvár. In autumno vice-colonellus Graven expeditur contra háromszékienses, et csikienses, sed illi non expectant, sed se recipiunt in Csík, incolae quoque hinc inde diffugiunt. Ascendunt caesareani usque ad Kezdi-Szentlélek, nulloque invento redeunt, transeunt per sylvam Sárkány, impedimenta permittunt, quae Siculi expilant, et caesareanos persequuntur, assequunturque ad pagum Sárkány, cum quibus configunt ductore Joanne Komlósi cum certa manu militum Hungariae, victoria incerta relictæ. Caesareani Cibinium, Siculi ad pagos Hermány et Szentpéter redeunt. Comes Nicolaus Bethlen regni Cancellarius projectum concipit; quod dum ad legatos Angliae et Hollandiae, mediatores pacis inter caes. Mattem et hungaros, gallico idiomate exaratum per quendam graecum Pano Stephan Posonium transmittere nitebatur, cujus summa haec erat: Ut augustissima Domus Austriaca, et Franciscus Princeps Rákóczi regno Transylvaniae cedant, creeturque in Transylvania princeps reformatus vulgo calvinista, qui ducat ex augustissima domo Austriaca uxorem catholicam, verum dictum projectum fatus Stephanus Pano non Posonium ad legatos refert, sed Generali Comiti Rabutin tradit, hinc C. Nicolaus Bethlen arestat, a regni Statibus Cibinii.

existentibus nota infidelitatis condemnatur, verum sententia executioni non mandatur, sed Cibinii, in quartirio Commendantis civitatis, nullo ad ipsum permissio, in strictissimo aresto servatur usque ad annum 1708, quo eundem dictus Generalis Commendans Viennam ducit. Expost Viennae cum eodem ductore suo eodem anno et septimana in aresto moritur. Moritur hoc eodem anno C. Stephanus Apor regni Generalis, cum quo officium Generalatus regni requievit in pace. Audita morte ipsius, ego me Corona per Valachiam Cibinium confero. Moritur similiter consiliarius Gubernii Samuel Keresztesi, in quo familia Keresztesiana defecit. Moritur filius meus primus Stephanus Coronae, et ibidem nascitur filia Barbara. Ob insurrectionem primam penes Rákóczium sedis Háromszék, per Generalis Commendantis Comitibus Rabutin mandatum Michael Székely sedis Sepsi, Stephanus Boér sedis Kezdi, Moyses Imecs sedis Orbai vice-judices Reg. quamvis ipsi inculpati, in arestum civitatis Coronensis ducuntur, et primo evolutionis duobus annis dimittuntur. Oppidi quoque Bereczk multi arestati ad eandem arcem deducuntur, eo, quod militum caesareanorum ad passum Bereczk excubantium interfectores haberentur. Similiter innocentes occisi sunt milites excubantes in passu Borza et in passu ad Csik-Gymes. Caeduntur a caesareanis sub Cibinio sedis Marus Siculi sub commando B. Samuelis Jósika. Ad Cibinium et Coronam malecontenti segetes satagunt comburere; Veterem civitatem Coronensem in exteriori parte, nec non suburbium Bolya fere totum exurant.

Anno 1705. Moritur 5-a Maji Augustissimus

potentissimus et invictissimus imperator Leopoldus. Medgyesinum a malecontentis hungaris sub Generale ipsorum C. Simone Forgáč obsidetur; Medgyesino praest caesarei regiminis Pálfiani centurio Kercz. C. Forgáč a duabus partibus tormentis urbem quatit, igneis globis, vulgo bombis, in urbe non exigua damna facit, assultus ex duabus partibus reiterat, sed a caesareanis viriliter repellitur. Ultimo, dum urbis praefectus Kercz in munimentis, ex qua parte urbs tormentis verberabatur, dum incautius agit, globo tormenti discerpitur, cui propositum erat ad ultimum spiritum urbem defendere. Mortuo ergo urbis praefecto, jamque in muris magno hiato existente, caesarei regiminis Neupergiani centurio Sleis sub certis conditionibus malecontentis urbem tradit, caesarea militia Váradinum versus discedit, cujus magna pars ad malecontentos transit. Malecontentorum equitatus ponit se ad Harság sub commando C. Laurentii Pekri, peditatus vero ad Szászsebes; hinc frequentes velitationes inter caesareanos cibinienses et malecontentos. Oppidum saxoniale Szeredahely a colonello Graven exuritur, expilatur. Rubra Turris ad Cibinium expugnatur a malecontentis, caesis caesareanis et loci tricesimatore Sinkai.

Cibinio circa finem Februarii moveo Coronam versus, sed Generalis C. Rabutin nec argentum nec pecuniam efferre mihi permittit, majorem partem argenteriae meae vi accipit ob metum malecontentorum. Post dies 15 per Valachiam plenus periculi Coronam pervenio, ubi ex ejusdem mandato 900 florenos meos rapi audio; quos dum repeto, aut ut aliquam argenteriam Cibinio ad sustentationem mei curem, neutrum mihi permittit; dum remonstro, non ergo amplius me-

día me habere ad sustentationem, succurrat, respondit: posse me sequi eos ungaros, qui me praecesserant in Valachiam. Ad quam 4-a Aprilis me moveo, et ad principem Constantinum Brankovan, cum majoribus boeronibus salutandum, Bukurestum pergo. Salutatis his redeo ad Ploestum, oppidum Valachiae, in quo subsisto. Moritur filia mea Barbara. Defectu mediorum vitae reliqui omnes Corona exeuntes hungari in patriam veniunt, ego, cum Francisco Henter regni protonotario, in loco permaneo, cum quo, tanquam cum emerito sene, frequentius consultabamus, ne quid temere aggredieremur. Consulto consulturus vado Bukurestum ad principem Brankovan, nec non Comites Constantinum et Michaellem Kantakuzenos accedo, remonstro me huc usque etiam ex gratia principis vixisse in Valachia, et ulterius perseverare cum dicto Francisco Henter in fidelitate nostri legitimi regis persistere parati sumus, num audiant famam succursus caesarei: in formam crucis ad pectus junctis manibus sic fati sunt: Juramus Deum, nullam audivimus. Hoc dicto, repraesento, aliquo adhuc tempore posse nos subsistere, non tamen diu; dent ergo christiani christianis consilium; ad quod princeps et dicti duo comites: Judicamus, ut vestrae Dominationes accommodent se tempori, et redeant in patriam; simul addiderunt, in tempore testes nobis futuros, non ex praesumpta malitia, sed ex necessitate coactos redivisse in patriam; quod et sancte praestiterunt, ut infra patebit; addebant simul: nec posse hic et nunc sperari succursus germanorum, cum germani actu infortunium sint passi a gallis. Totum hoc negotium perscribo Generali Comiti Rabutin, et per pecunia conductum expressum transmitto, et consilium peto

Redux expressus ducit signum, quod litteras tradiderit, sed responsum nullum, quid ergo faciendum. His ita actis, convasatis rebus ad finem Julii in patriam venimus, nam duobus hungaris nec erat plene tutum in loco illo remoto subsistere, frequenterque minae a malecontentis veniebant, nisi in tempore rediverimus, nunquam bona nostra nobis reddi, quas tamen flocci habuissemus, si de succursu quid vel minime certi habere potuissemus. In patria accipio mandatum Comitum Forgács, ut subito ipsum accedam; accessi, a quo remissus cum mandato, ut quantocumque principem Rákóczi accedam; tempus tamen protrahere, ut adhuc aliquid de succursu audirem, ut interim domi meae continerem. Interim volat fama Rákóczi intraturum Transylvaniam; nulla mentione audita succursus, moveo me ex Csík-Somlyó 4-a Octobris, venio Medgyesin, ibi a Barone Gabriele seniore Jósika (occulte etiam caesareanis partibus favente) audio succursum germanicum per Danubium transivisse. Ibi ambo, quid facto opus esset, per duos dies consultamus; ultimo concludimus, ut non redirem in Somlyó, sed accederem ad principem Rákóczi, interim geramus nos ne vel in minimo nocere videamur partibus caesareanis (cum et praefatus B. Gabriel Jósika per deditionem arcis Hunyad coactus fuerit se tempori accommodare). In via moras trahens, non prius ad principem venio, quam ipsum ad Egregy aliquot diebus substitisse audirem; ad quem dum venio, benigne me excipit, tertia statim die occulte ut ad se venirem, mandat. Accedens, interrogat, quid testamento legasset pie defunctus patruelis meus, exposuissemque ipsi, ad quae ille: Dicimus Vestrae Dominationi in verbo principali, si Deus arma nostra secundaverit,

multo plus his adjiciemus, tantum nobis sit fidelis, nam nos de vestra Dnaone in bono supposito sumus, audivimus de ipso multa bona, praecipue studiorum. His dictis et a me gratiis actis redeo. Disponit me pro vigile ad viam Vártelek; excusationibus, ut potui, usus, parere tamen debebam; ibi pacifice substiti, donec tandem 11-ma Novembris, S. Martino episcopo sacro permittente vallo in Karika fortissimo per malecontentos erecto, ad vallum Sibó caesareus miles, duce Excellmo Dno Comite de Erbeville cum caesareanis et Daniae regis copiis, configit, malecontentos caedit et fugat, ut tunc fama ferebat, deletis ex malecontentis quatuor millibus. Sed nec caesareanis incruenta fuit victoria, ut enim tunc narrabatur, etiam ex caesareanis desiderati fuerunt duo millia quingenti. Pugna peracta non principem Rákóczium sequor, sed redeo iu domum meam in Csík-Somlyó, ubi rursum mandatum principis Rákóczi per Georgium Horváth in scriptis accipio, ut me ad se conferam, et quousque frustum panis habebit, et me habiturum. Interim fama volat, germanum militem in Csík penetrare; quo audito, malecontenti tumultuari coeperunt. Cum vero tali in casu a longe tutius sit se innocentem demonstrare, quam per sinistras informationes in praesentia sinistri quid pati: convasatis rebus in tempore in Moldaviam penetrare volebam, ut inde res innocentiae meae cefirmarem. Interim praecedente nocte, dum discessum moliebar, in somniis ter venerabilis senex mihi dicebat: Impius fugit nemine persequente; tertio addit: per parvam tribulationem magna consolatio, ad repetitas vices, ac si insomni haec verba dicta fuissent, semper excitatus. Et ecce dum hora 4-a matutina pulsatur ad Roē

rate, conparet quidam in veste peregrini, et me ad privatum cubiculum vocat, ibi juramentum a me excipit; excepto, ex pera arripit panem subimericeum, ex quo excipit schedam nomine Comitum de Rabutin mihi scriptam, porrigit, in qua sub cavallerica parola mihi scribit, quod non me immisceam (formalibus his verbis) rebus rebellium, scit me ex necessitate inter illos esse, agam quae fidelis debet, contineam incolas domi: non ut aliquid sinistri accideret, verum a Sua Matte praemium reportaturus. Dirigo virum versus Kászón, ne suspicioni redderetur, ut ea via pergeret qua germani veniebant; res secretissima, nihilominus malecontenti aliquid subodorati, monasterium Patrum Franciscanorum in Csík-Somlyó circumdant, et inter spem vitae et metum mortis expectabam caesareos, nihil tamen mittebam mihi commissorum. Adveniunt ergo caesarei, die innocentibus Martyribus sacra, obviam procedo, et videor cum honore excipi.

Arx Szamos-Ujvár traditur Rákóczi a vice colonello Musburg ob famem.

Anno 1706. Fatalis hic mihi, in omni enim sexto debuit quid novi mihi contingere. Dum duo regimina, Rabutinianum et Parajdianum, ut dictum est, intrassent in Csík, et ea quae caesaris essent agerem, nec opinanti quidem, innocentiae fulcro nix, et cavallericae parolae Generalis Commendantis confiso, in propria domo in Csík-Somlyó per colonellum Graven nomine Generalis Commendantis indicitur arrestum; post duos dies, honeste quidem, ducor in Csík-Szent-Imre, quo et duo regimina condescenderant. Ibi altero die proponitur, ut sive eques, sive proprio curru eam. Sed cum jam quidam centurio, Mill no-

mine, Rabutinianus, omnibus equis, curribus et suppellectilibus, uno verbo omnibus praeter ea quae in corpore ego, conjunx et quinque annorum filiola Susanna habuimus, spoliasset, imponor curru rusticano, et ducor Coronam, ubi Generalis Marchio Chusani, perspectam habens meam innocentiam, rescribit Generali Commendanti C. Rabutin. Omni tamen humanitatis officio, tam a praedicto Generale, quam a regiminis Neipergiani vice colonello, tunc Barone Wellenstein, tum ab omnibus ejusdem inclyti regiminis Dnis officialibus eo sincero affectu animi acceptus sum (noverant enim jam meum sincerum animum, dum medio secundo anno ipsis Coronae convixissem), ut ab eo die, quo ad arcem Coronensem deductus sum, non in aresto, sed in convivio fuisse me reputarem, quidquid enim humanitatis officium fuit, nihil praetermiserunt. Dum quidem ad arcem ductus fuisset, erat arcis Coronensis commendans centurio Neipergianus Veismiller dictus, vir omni conscientia plenus, miles nulli secundus; qui me statim ad prandium invitavit, et a prima die ingressus arcis tunc in cubiculo meo edebam, quando certis rationibus me excusavi. Convivio, lusibus, confabulationibus in tantum me recreabant, ut subinde molestum fuerit mihi non posse legere, scribere. Et hoc duravit usque ad finem aresti mei; quin imo etiam gregarii (cum quibus ut potèram bene faciebam) uti parentem diligebant. Erant tres centuriones, qui successive arci in commando succedebant, quartus capitaneus leitinantius; centurionum nomina haec sunt: Ebner, Baro Formetin, Veismiller, capitaneus leitinantius Bukovszki, bohemus. Vivant in aeternitate et lux perpetua luceat eis, et omnibus mortuis inclyti regiminis Neipergiani, qui innocentis

patientiam tam praeclara humanitate recrearunt; prout vero ego, sic posteritas mea in aeternum sit obligata nomini Neiperghiano et ejus inclyto regimini.

Tertio aresti mei die concipio memoriale, quod inter acta mea in aresto videre est, nam omnia ad litteram servantur. Exprobrio Generali Rabutin cavalericam parolam, adduco testes innocentiae meae principem Valachiae et duos dictos ejus consiliarios. Transmitto ad transmittendum Generali Commendanti vice-colonello Wellenstein; sed is, ne tam duris ad Generalem Commendantem uterer terminis, mihi remittit; verum persisto in sententia, memoriale transmitti cupio. Transmittitur, et quia a malevolis et rebus meis inhiantibus falsissime delatus fui, aliud nihil obtinui praeter commissum vice-colonello Baroni Wellenstein examen. Examinor, et examinor, et rursum pro et contra examinor. Examen transmissum Generali Rabutin. Interim per Nicolaum Pater tricesimatorem Coronensem B. Wellenstein mihi significari curat, me abunde innocentem invenisse, quin imo benemeritum, sperem, quam primum responsum accipiet, me liberaturum. Nihil tamen obtinui, nisi ut in arce ubi liberet ambulare, ibi liceret. Interim supellex mea argentea Cibinii diripitur et distrahitur. Hoc etiam additum, ut dum necesse habui, cum vigiliarum praefecto civitatem adire, et ibi sine ulla vigilia tota die morari mihi licuit. Et sic dum me innocentem in aresto relinquit C. Rabutin, fit armistitium, sub quo pater patriae Generalis Klikisperg, Ditrig prius nominatus, qui Commendans Generalis manere debebat, magno meo infortunio Claudiopoli moritur. Mortuo ergo illo, cum quo quinque regimina pro securitate Transylvaniae manere debebant, assumpta tota mi-

litia, Generalis C. Rabutin ex Transylvania eggre-ditur, obsidet Cassoviam, sed irritum, perditis suis plu-rimis; quin imo subsidium Danicum, tam ad Casso-viam, quam ante et post, fame, variisque morbis to-tum fere periit.

Relicta Cassovia Rabutin peragratum partes Hungariae, redit Debreczinum, inde colonellum B. a Tige Cibinium immittit, qui feliciter intrat.

Moritur hoc anno 6-a Octobr. C. Samuel Kálnoki, et quod nomen thesaurarius in ipso reman-serat, in ipso extinctum est, in rebus cameraticis diri-gendis Comite a Seau in Transylvania existente; nec amplius ungarus transylvanus thesaurarius comparuit.

Natus est filius meus Josephus intra 24 et 25-am Aprilis.

Sed quia dictus C. Rabutin militia equestri vacuam reliquerat Transylvaniam, a malecontentis variae fiunt velitationes et depopulationes. Comes Pekri cum aliquot millibus in campos Barczenses venit, et in vico Bothfalva se occultat, praemittit paucos ad vi-cum S. Petri, quorum paucitas dum relata fuisset Commendanti Coronensi Baroni Wellenstein, mox ad eos dissipandos cum equitatu excurrit. Accurrit sub-sidio suorum C. Pekri, Wellenstein a multitudine obruitur, et amissis 35 suorum, equo sauciato, rever-titur, educit subito duas centurias peditum, ponit ad fluvium Tömös; sed has aggredi malecontenti non tentarunt. Erat haec actio festo Innocentibus sacro, quem actum ex aresto arcis aspiciebam. Dani, prae-cipue hybernantes in Transylvania, sed et reliqua militia licentius in quartiriis vivebat; sed siculi pluri-mum patiebantur. Hinc dimidia pars quanti patriae sicutis imposita, cui dum impares fuissent, variis exe-

cutionibus corporisque mortificationibus vexati. Omnia quae poterat, hospes vendebat, nec sic par solvendo, miles quidquid rerum domesticarum, quidquid pecorum inveniebat, vilissimo praetio vendebat, ita, ut juvenus unius anni floreno ungaricali, ovis una tribus-quatuor grossis, porcus unius anni etiam poltura vendebatur Coronae; miseria denique tanta, quanta a tempore Bastae in Transylvania non fuit. Omnes nobiles et siculi armis spoliantur.

Anno 1707. Franciscus princeps Rákóczi, quem anno 1705 transylvani, qui extra fidelitatem caesaris tunc erant, in principem Transylvaniae elegerant (quamvis saxones partibus Emerici Tökölíi favere viderentur ob religionis lutheranae respectum), cum splendido etsat copioso exercitu ad comitia a se indicta Marosvásárhelyinum venit, ibi consuetum et solenne juramentum deponit, consiliarios sibi, Tabulae Iudiciariae assessores et reliquos officiales creat; princeps Michael II Apaffi, prout et alii fideles Suae Mattis SSmae Caes. et Regiae nota infidelitatis condemnantur. Finitis comitiis in Hungariam redit, Comiti Laurentio Pekri, ut suo Generali, Transylvania relicta. Erat intentionis Baronis Tige, quem anno superiori a Comite Rabutin Cibinium immissum scripsimus, turbare hanc pompam Rákóczii, verum equites caesareani, ob non solutum stipendium tumultuari coeperunt, ita ut pedestrem vigiliam duplicare necesse fuerit. Ad hos sedandos, B. Tige, ac si aliquid contra hostem moliturus, militem extra urbem ducit, antesignanis in urbe permissis, mox clausis portis, ex antesignanis duos in infami ligno in foro pendere jubet. Quos ubi jam pendere intellexit, alios in ur-

bem reducit; qui videntes antesignanorum casum, sedati sunt. Generalis C. Rabutin cum 8 regiminibus per angustum passum Körös in Transylvaniam ingreditur, cui obviam procedit C. Pekri, jactans in via, nullum se passurum germanum in Transylvaniam ingredi; non intrabit Rabutin (inquit) quousque vivam. Et certo in illis angustiis poterat solis lapidibus moram facere, verum nec Comiti Rabutin in conspectum ire vel mittere ausus, revertitur, C. Rabutin salvus cum militia Cibinium ingreditur, militia in hyberna dimissa. Verum sedes Gyergyó, clausis undique viis, sedisque aditibus oclclusis, hyberna admittere recusat; contra quos cum certa commendata germanorum et rascianorum manu colonellum Acton Generalis C. Rabutin expedit, qui primo in Csík ingreditur nulla fama praecedente. Ibi in pago Csicsó nihil tale metuentes Georgium Bálintith et Michaellem Baranyai vivos capit, quosdam eorum servos occidit, inde recta in Háromszék contendit, cujus adventum Comites Michael Mikes et David Petki prandentes in Kászon intelligunt (qui tunc sedibus Háromszék et Csík praecerant), et subito in Háromszék descendunt, perque passum Ojtoz in Moldaviam ingrediuntur; quos sequebantur plurimi incolarum, cum omnibus rebus pretiosioribus curru imponitis. Colonellus Acton nihil in Csík moratur, subito in Háromszék descendit, arestatos secum ducens, quos prius Coronam, inde Cibinium mittit; intelligens vero dictos Comites in Moldaviam discesisse, certam manum rascianorum ad persequendum expedit, Comites quidem in pace discedunt, sed currus incolarum assequuntur, occisis aliquibus, currus expilant, magnaue praeda onusti redeunt, incolis ut redirent ad sua, amnistia promissa. His per-

ractis, nihil moratus colonellus Acton, praemissa admonitione ut se subderent Gyergyóienses, supr. vigiliarum praefectum Schram Preineriani regiminis in Szent-Lélek permittit, certam militum manum ipsi attribuens, Acton vero ponit se ad Dánfalva, inde iteratis Gyergyóienses, ut se subdere velint, admonet, minatur necem et omnia crudelitatis genera; sed dum nihil efficit, ope opilionis per viam occultissimam simul difficillimam militiam in Gyergyó inducit non obstantibus profundis nivibus, ita, ut Gyergyóienses primo tunc resciant, dum miles in Gyergyó est. Hinc incolae, faeminae qua quis potuit, fugit, miles caesareus quos assequitur caedit (inter reliquos praeclarum Andream Both, quondam V. Judicem Regium, quem ipse Acton et reliqui officiales dolebant), pagos exurit, quidquid deprehendit, populatur, nec sacris templi rebus parcens. Dum saevitum satis, Acton praeda onustus commendatos 200 milites in Csík permittit cum centurione Paselli, solus in Háromszék descendit, et ponit se cum militia Altorjam, solus occupat domum meam. Huc Gyergyóienses quendam ludimagistrum pro gratia et amnistia supplicanda mittunt, quibus ut expedirem, praefatus Acton me rogat; expeditio hoc tenore: ut omnibus sub parola sua gratia et amnistia, ponant se ad habitacula sua, sint fideles, addidit: excusatum se esse coram Deo, qui, postquam iteratis admonitionibus suis parere noluerunt, invitatus ad suos ordines exequendos descendit. In Háromszék vero et Csík partes Rákócziánas sequentium domos disjici curat, dictum vigiliarum praefectum supremum à Schram cum certa germanorum, hungarorum et rascianorum manu in Léczfalva disponit, pagum circumvallari curat et Schesburgum redit.

Dum vero viderem nulla mea excusatione a Comite Rabutin libertatem meam assequi me valere, confugi per certos patronos ad pedes clementissimos Augustissimi imperatoris Josephi, qui benigne exauditis meis precibus humillimis, in conferentiaque ministeriali causa mea discussa, 11-a Julii puncto 11-mo cum vita, bonis, honoribus prioribus absolvor; quod mihi subito Vienna perscriptum. Dum repraesento jam colonello regiminis Neipergiani Viennense rescriptum, paucos post dies gravius arestum imponitur, ne scilicet domo egrederer, quamvis nec tunc, nec unquam Coronae vigilia mihi fuerit imposita. Eadem die 11-a Julii dictus Comes Rabutin Vienna dat ordines Baroni Wellenstein, ut me libertati restituat, verum sic disponit, ut priusquam ille in Transylvaniam veniret, dicti ordines in manus Baronis Wellenstein non devenirent. Nec devenerunt ante 9-am Novembris horamque 10 noctis. Affulsit tandem dies 10 Novembris pridem exspectatus; summo mane dictus B. Wellenstein per vigiliarum praefectum leitinantium equum ornatum pro me mittit, et equitantem in urbem deduci curat. Cui dum gratias agerem, arripit ordines dicti Generalis Rabutin, me deprecatur, adducit testes, hora primo 10-ma noctis hos ordines accepisse. Cur autem mihi innocenti ita offensus fuerit C. Rabutin, nec hodie capio, nisi fuisset vindicta aliquorum. Sed ego ipsi parco et dico: requiem aeternam et sempiternam dona ei Domine, me vero, meosque posteros a simili casu libera in perpetuum.

Omnes arces et urbes Transylvaniae a Rákóczianis recuperatae; etquidem Görgény, post longam obsidionem et oppugnationem egregie se defendentibus praesidiariis; ultimo trajectus loci gubernator,

praesidiariorum magna pars fuga se salvat; similiter Déva diu obsessa. Sed sub Görgény magni nominis officiales caesarei et multi gregarii perierunt.

Anno 1708. Generalis C. Rabutin ex Transylvania egreditur; omnes ipsi quotquot scio, felicem viam precabamur. Substituatur cum gaudio Transylvanorum Marchio Chusani, amor omnium; incipiunt aperiri carceres. Verum paulo post advenit actualis Comendans Generalis B. Krichpaumb, summus iustitarius, pater patriae futurus, si fata non denegassent. Qui ex innata clementia augustissimae domus Austriae aperit carceres, et quos furor Rabutinianus carceri mancipaverat, benignitas augustissimi Josephi I, per favorem dicti Baronis Krichpaumb libertati restituit. Quos prout omnes innocentes asserere non ausim, aliquos tamen culpaе insontes probe scio. Invehit praedictus B. Krichpaumb victualia caesareis Váradinum; in reditu obsistentes habet malecontentos, cum quibus acerrimo praelio configit, vincit et fugat, incolumisque reducit exercitum.

Hoc anno constitutus sum supr. Index Reg. sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai, iuramentumque deposui in Léczfalva. Moritur filia mea Rosalia in Bolonya. Moritur Excellmus Dnus C. Georgius Bánffi Gubernator Transylvaniae 15-a Novembris Cibinii. Natus est filius meus Joannes.

Anno 1709. Pestis ex Moldavia inficit sedem Gyergyó, et mox totam patriam, paucis locis exceptis. Ex mandato caesareo fiunt comitia regni Cibinii, eliguntur personae pro Deputatione Regia, quae omnia politica ad interim dirigeret; etiam ego eram inter

primos candidatos, placuit tamen 16 has personas confirmare Suae Matti, primo quidem qui reliqui erant consiliarii ex Gubernio : B. Stephanum Haller, Samuelem Conrad judicem Reg. Medgyesiensem, et Petrum Veber judicem Reg. Cibiniensem; item ex parte catholicorum: B. Sigismundum Kornis, modo Comitem (qui Viennam qua cancellarius discedens, locum ejus obtinuit B. Stephanus Kornis, modo Comes), B. Georgium Haller et B. Gabrielem Jósika. Ex parte reformatorum sive calvinistarum: B. Stephanum Vesselényi, C. Ladislaum Teleki, C. Ladislaum Bethlen et Ludovicum Nalácsi. Ex parte unitariorum sive arianorum: Samuelem Biró, Gregorium Sándor, Gabrielem Maurer et Gabrielem Gidófalvi vice Judicem Reg. sedis Sepsi. Et ex parte lutheranorum praeter duos specificatos, Joannem Hozman consulem Cibiniensem et Georgium Drauth judicem Coronensem, cum addito salario singillatim 500 florenorum. In comitatibus modo provisorio sunt constituti officiales. In sedibus siculicalibus vi privilegii electi et a Sua Matte confirmati erant supr. Judices Reg. actuales, etquidem: in sede Udvarhely Sigismundus Korda, in sedibus siculicalibus Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklósvár Petrus Ápor, in sedibus Csík, Gyergyó et Kászon Joannes Kászoni nunc Borne misza, in sede Marus Georgius Lázár de Gyalakuta, in sede Aranyas jam ante triginta fere annos constitutus Andreas Szilágyi.

Baro Krichpaumb ponit se ad campum, sed praeter aliquas velitationes nullam facit actionem, vult visitare passus valachicos, venit Coronam, ibi infirmatur, redit Cibinium, et moritur, longiori vita dignissimus.

Nascitur filia mea Sophia.

Anno 1710. Generalis C. Stephanus Steinvile succedit Generalis Commendans. Pestis grassatur, inchoatur etiam lues pecorum, ob locustas plurima damna. C. Steinvile procedit ad campum, fiunt solum velitationes. Moritur filia mea Sophia. Moritur etiam B. Stephanus Haller regni praesidens.

Anno 1711. 17-ma Aprilis Augustissimus potentissimus et invictissimus imperator Josephus I moritur. Ex ejusdem benignissima innuentia fit pax inter malecontentos hungaros per plenipotentarios Excellum Dnum C. Generalem Mareschallum Joannem Pálffi, regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banum, nec non Illrmum Dnum Carolum a Lochner. Transylvani etiam domum redeunt.

Nascitur filia mea Anna. Domus mea Al-Torjae fulmine percutitur 22-a May. Annus hic minus fertilis erat.

Anno 1712. Augustissimus potentissimus ac invictissimus imperator Carolus VI, relicta Hispania, coronatur rex Hungariae Posonii 22-a May. Idem Augustissimus imperator mandat comitia Transylvaniae, litteras regales omnes sua manu subscribit. Celebrantur comitia Medgyesini, eliguntur guberniales personae, Tabulae Judiciariae assessores; pro proto-notariatu ego habui plurima vota. Ingentes exundationes aquarum fiunt, hinc et inde iterum pestis, et locustae rursum damna faciunt. Nascitur filia mea Drusiana. Hoc anno B. Sigmundus Kornis, B. Stephanus Kornis, B. Gabriel Haller, B. Joannes Hal-

ler, B. Ladislaus Haller comites, et Petrus Apor baro creantur.

Anno 1713. Excellmus Dnus C. Sigismundus Kornis installatur Gubernator Transylvaniae; restauratur Gubernium. Ingrediuntur personae hae: ex parte catholicorum dictus C. Sigismundus Kornis, C. Michael Mikes, B. Georgius Haller. Ex parte reformatorum: B. Stephanus Vesselényi, C. Ladislaus Teleki, Andreas Szent-Kereszti. Ex parte unitariorum sive arianorum: Samuel Biró, Michael Simon, Ex parte nationis saxonicae manet Samuel Conrad, judex Reg. Medgyesiensis, jam anno 1696 factus consiliarius, item Andreas Teics, judex Reg. cibiniensis, nec non Samuel Fest, civis cibiniensis. Unus consiliarius non erat resolutus, sed mox resolvitur B. Georgius Mártonfi episcopus Transylvaniae. Secretarii Gubernii: Sigismundus Kún de Csapó, catholicus, Samuel Köleséri de Keresér, calvinista. Registratores Gubernii: Alexius Henter, catholicus, Gabriel Alvinczi, calvinista. Eodem anno protonotarii creati: dictus Andreas Szent-Kereszti calv. Michael Olasz cath. Gregorius Sándor arianus sive unitarius.

Tabulae Reg. assessores, catholici: B. Ladislaus Mikola, C. David Petki, C. Martinus Keresztes de Sárpatak, C. Franciscus Lázár, Joannes Toroczka; calvinistae sive reformati: C. Joannes Bethlen, C. Ladislaus Bethlen, Andreas Nalácz jam antiquus; unitarii sive ariani: Franciscus Daniel de Vargyas, Sigismundus Balog et Gabriel Maurer.

Director: Blasius Literáti-Szabó de Csik Szent-Márton.

Supr. Judices Reg. jam nominati sunt. Supr.

ergo comites: in Cottu Albensi B. Georgius Mártonffi episcopus; in Cottu Kolosiensi C. Stephanus Csáki; in Cottu de Küköllő C. Stephanus Kornis; in Cottu Dobocensi C. Georgius Bánffi; in Cottu Thordensi B. Emericus Jósika; in Cottu Szolnokiensi Nicolaus Torma; in Cottu Máramaros C. Josephus Bethlen; in Cottu Szolnok Mediocri B. Stephanus Vesselényi jam pridem; in Cottu Krasznensi Franciscus Boér; in Cottu Hunyadiensi Ludovicus Nalácz; in Cottu Zárándiensi B. Michael Száva; in Cottu Aradiensi paucos post annos Paulus C. Conspurg; in districtu Kővár capitaneus supr. C. Michael Teleki, sed paucos post annos moritur, succedit loco ejus filius C. Joannes Teleki, factus catholicus. In Districtu Terrae Fogaras jam antiquus Simon Boér capitaneus supr.

Hoc anno pauca et miserabilia vina creverunt.

1714. Alba Julia incipit erigi in fortalitium. Temporibus nostris inaudita multitudo erucarum plurima damna facit. Rex Sveciae Carolus XII, postquam perdidisset armadam ad Pultavam, et recepisset se Benderum, hoc anno occulte transit per Transylvaniam Viennam versus, et inde it in Sveciam. Publicatur meus baronatus. Nascitur filius meus Ladislaus. Conscribitur Transylvania. Moritur C. Ladislaus Teleki, succedit C. Ladislaus Bethlen consiliarius. Mittitur Viennam Joannes Kászoni pro cancellario; ejus referendarii Georgius Bálintith et Samuel Alvinczi.

Anno 1715. Alba Julia jam utcunque fortificata denominatur Carolina, et ponitur fundamentalis lapis per C. Stephanum Steinville Generalem Commendan-

tem et Sigismundum C. Kornis Gubernatorem. Arx Claudiopolitana et arx Csík-Szereda aedificantur. Episcopus Transylvaniae B. Georgius Martonffi in Transylvaniam ingreditur. Natus est filius meus Stephanus alter.

Anno 1716. Triplex gaudium in Transylvania, sed primum paulo post versum in luctum. Nam dum 13-a Aprilis nascitur serenissimus archidux Leopoldus Joannes Josephus Franciscus Antonius Hermenegildus Rudolphus Ignatius Balthasar, ipso augustissimi parentis tutelari die 4-a Novemb. denascitur. Secundum: profligatus turca ad Petrováradinum cadente ipso supr. vezirio, ductore supremo exercitus caesarei Serenissimo principe Eugenio duce Sabaudiae 5-a Augusti. Tertio: eripitur porta Transylvaniae turcis, h. e. capitur Temesvarinum ab eodem serenissimo duce 12-a Octobris.

Hoc anno inordinati sicci venti et frigidi causarunt ne in vineis botri maturescerent, prout et reliqui fructus, ideoque luridissimum vinum provenerat.

Stephanus Dittine vice colonellus caesareus nationalis militiae principem Valachiae Nicolaum Maurocordatum capit Bukuresti, et captivum ducit in Transylvaniam Cibinium. Moritur C. Ladislaus Bethlen consiliarius Gubernii, cui succedit B. Ladislaus Kemény. Nuptui trado filiam meam Susannam C. Joanni Haller. Occupatur templum majus S. Michaelis in foro Claudiopoli a Generale Commendante Stephano Comite Steinville, et episcopo Transylvaniae Georgio Martonffi, quod postquam a nobis rapuerant, saeculo et quod excedit possederant ariani sive uni-

tarii, fundatum ab augustissimo quondam imperatore et rege Hungariae Sigismundo.

Aestate et vere vix duobus mensibus calorem sensimus, hinc propter septemtrionales ventos in vere, et occidentales in aestate incrementum omnium fructuum impeditum est, quatuor septimanis tunc crescere retardarunt. Hinc segetes, fructus immaturi manserunt, vinum luridissimum provenit ex immaturis botris ob frigus autumnale, ut acetum dixisses potius non vinum. Tempus tale fluxisse mirabile prout hoc anno, nec in historiis legitur.

Claudiopoli ad templum majus cathedrale receptum ab arianis, constituitur primus plebanus Pater Michael Szabó Altorjensis. Aedificavi sacellum S. Josephi Altorjæ (Dictus P. Michael Szabó mortuus 1739).

Anno 1717. In hyeme tartari insidiabantur sedi Háromszék, veniunt ad confinia, et aliqui vix non ad arcem Ojtoz, sedula tamen vigilia mea recesserunt. Belgradum a serenissimo principe duce Sabaudiae obsidetur 1-a Augusti, superveniens armata turcica 16-a Augusti profligatur, et Belgradum capitur 22-a Augusti.

Interim in Transylvania metus magnus ob tartaros, nam filius chami tartarorum transiens per Pruth, ponit se in Moldavia ad pulchrum oppidum (nomen oppidi est), inde incertum quo tendat; verum sedula mea vigilia et vice Judicis Reg. mei, Stephani Boér, factum est, ut per fidissimos exploratores omnes ipsius motus observaverim. Et primo disposuimus ad passus 300 bene armatos, cum propius accedere voluisset, disponimus 700, mittimus ad altiorem montes tria tympana pedestrium, addimus stratagemam, 1000

pedites germanos venire ad passus, disponimus exploratores sic, ut stratagema hoc perveniat in aures tartarorum. Caesarea interea militia sedulo vigilabat in campis, quod dum in aures tartarorum pervenisset, permissis sicut 22-a Aug. dictus filius chami tartarorum cum Kolcsak bassa hutteniensi (hic non pridem factus ex christiano hungaro turca; qua christianus vocabatur Ladislaus Okolicsányi) et vajvoda Moldaviae, Michaela Rakovicza, per passum Bistriciensem in Transylvaniam penetrant, sed audientes profligatum esse exercitum turcarum ad Belgradum, bassa hutteniensis cum vajvoda recedunt in Moldaviam, filius vero chami tartarorum, cum quindecim fere millibus tartarorum depopulatur districtum bistriciensem, Comitatum Szolnok Interiorem, partem Cottus Dobocensis et partem Cottus Colosiensis, item districtum Kővár, partem Cottus Szathmáriensis et partem Cottus Ugocsiensis, plurimos captivos et praedam secum ducens. Dum vero in Cottum Máramaros venissent tartari, ab incolis ejusdem Cottus aggressi, plurimos eorum occiderunt, maximam partem captivorum liberarunt, prout et praedae sat bonam partem recuperarunt. Hinc aliquot regimina ex magna armada in Transylvaniam commendantur.

Pestis in terra Fogaras, similiter in Medgyes et ejusdem sede recrudescebat, prout et Cibinii. Via Carolina in Valachiam erigitur et paratur. Joannes Kászoni fit Baro, et accipit nomen Bornemisza, scribitque se jam Joannes Bornemisza L. B. Kászoni; a puero enim non bibebat vinum.

Anno 1718. Securitas Transylvaniae et totius christianitatis redditur, dum post gloriosas victorias

augustissimi imperatoris Caroli VI pax Passaroviczii concluditur cum turca per annos 24.

Hoc anno inaudita siccitas, inauditus calor ita dominabantur, ut non contemnendi fluvii, scaturigines exsiccarentur, neque autumnales, neque vernaes segetes crescunt; fames inaudita, ita ut unus alterum comederit, prout et in Osdola contigit; homines cortices arborum, semina variarum herbarum, et quasi inaudita edulia comederunt; a saeculis fames similis audita non est; vinum tamen bonum et generosum provenit; herbae nullae creverunt: incolae pecora ad exoticas partes abegerunt. Hinc radices herbarum accensae, acsi terra arsisset, et in multis locis ubi antiquitus lacus, nunc foenilia apparent. Pestis Coronae et in Hâromszék incipit; vix me salvare potui per montem Torjae, quin pestis circumdedisset, et primo eo ad Korod-Szent-Márton, inde ad Tövis; sed ut propius sim officio meo, ex mandato Gubernii confero me ad Kövesd, inde ad initium anni futuri pergo Claudiopolim ad comitia.

Pars Coronae, Rosnyó vero in districtu Corónensi totaliter comburuntur.

Nascitur filius meus Sigismundus, et moritur Stephanus filius alter.

Anno 1719. Inaudita pestis (praeter Bistricium et districtum ejus) per Transylvaniam ultra centum millia animarum exstinguit; in solis sedibus Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklósvár supra novemdecim millia et aliquot centenas personas mortuae sunt. Ego, ex omnibus bonis exclusus, medio anno substiti in Noszoly; eram vero a die 25-a Julii usque ad Majum sequentis anni infirmus, ita, ut paucam spem vi-

tae habuerim. Mortuus est filius meus Sigismundus, nou in peste, nam a peste Deus domum meam conseruauerat. Apparet ignis meteoricus mirabilis ad Claudiopolim. Hoc anno cubulus tritici vendebatur 7, subinde 8 florenis, cubulus vero siliginis emebatur 4, et aliquando 5 florenis, quin imo pro solo victu aliqui pro subditis sive jobbagyonibus obligabant. Annus tamen hic suo tempore fertilis secutus est.

Anno 1720. Mures, sorices plurima damna faciunt in segetibus et acervis. Generalis Commendans C. Stephanus Steinvile moritur. Moritur filia mea Drusiana. Tandem cessat pestis, quae hic vel ibi per decennium durauerat in Transylvania. Moritur C. Stephanus Csáki supr. Comes Cottus Kolosiensis.

Anno 1721. C. Damianus Hugo Virmond fit Generalis Commendans Transylvaniae. Ob frigus et grandines luridissimum vinum prouenit. Moritur C. Michael Mikes 6-a Ianuarii, Reg. Gubernii consiliarius, cui succedit Joannes B. Bornemisza de Kászón. Moritur Samuel Biró, aequae Gubernii consiliarius, cui succedit C. Stephanus Kornis. Moritur 5-a Septembris B. Georgius Mártonffi episcopus Transylvaniae et Reg. Gubernii consiliarius, cui succedit in omnibus B. Joannes Antalffi. C. David Petki fit supr. Comes Cottus Kolosiensis. Receptum Medgyesini antiquum templum Patrum Franciscanorum, et traditum est Patribus Franciscanis Reformatis. Item Bistricium intrarunt Patres Minoritae, et traditum est eis templum. Item Patres Piarum Scholarum.

Anno 1722. Serenissima Archi-Ducissa Maria

Theresia, filia augustissimi imperatoris Caroli VI, in haereditariam Principissam recepta est Cibinii. Ita augustissimae domus Austriacae foemineus sexus pro haereditariis Principibus acceptatus est. Generalis Commendans C. Virmond moritur, succedit C. Lotharius Josephus Kinigszeg. 2-a Aprilis et 14-a Maji frigus insolitum destruit fructus et vineas. 1-a Januarii post mediam noctem hora tertia occulte incendiarii incendunt domum meam in Galacz, vix nos in indusiis salvantes, ubi ad 12 millium florenorum damnum passus sum in clenodiis, argenteria, vestibus et rebus ex plumbo. Similiter C. Joannes Haller cum conjuge sua Susanna Apor sic se salvant. Horologia etiam pretiosa amisi. Servus unus C. Joannis Haller, dum rebus salvandis incumbit, fumo suffocatur, alter similiter meus, et mihi valde charus, Franciscus Sopronyi comburitur, et post tres dies expirat. Post tres rursum hebdomadas similiter incendiarii post mediam noctem domum meam in Ohába accendunt, comburunt, et quae pro reparatione vestium Cibinio allatae erant, flamma comburit, ad 500 florenorum damnum ibi passus.

Anno 1723. Mortuus Michael Simon Gubernii consiliarius, cui succedit Georgius Bálintith. Assignatum est templum Patribus Franciscanis Reformatis Sesburgii; item P. Minoritae acceperunt possessionem templi SS. Petri et Pauli Claudiopoli in suburbio.

Anno 1724. 23-a Augusti inter septimam et octavam matutinam videtur mirabilis ignis meteoricus, qui et draco volans dicitur, uno tempore in pluribus locis Transylvaniae. 4-a Septembris Claudiopoli in-

spiratus ignis magnam ruinam causat in domibus combustis. Filii mei Josephus et Joannes, absolutis studiis humanioribus Claudiopoli, pergunt ad philosophiam Tyrnaviam. Moritur Andreas Szilágyi supr. Judex Reg. sedis Aranyas. Accipiunt P. Franciscani Reformati possessionem templi Óvár Claudiopoli. Templum academicum Societatis Jesu Claudiopoli anno 1718 inchoatum, hoc anno finitum, in quod solennis introitus fuit 10-ma Septembris, praesente Excellmo Dno Comite a Kinigszeg et Statu catholico.

Anno 1725. Comes Kinigszeg mittitur a Sua Matte in Hispaniam pro extraordinario legato, succedit Generalis Commendans C. Carolus de Tige. C. Joannes Haller fit supr. Judex Reg. sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon. Moritur Sigismundus Korda, supr. Judex Reg. sedis Udvarhely.

Anno 1726. Ingentes calores in Transylvania causant charistiam frumenti et foeni, adeoque in certa parte Transylvaniae iterum magna fames, vel maxime in Cottu Szolnokiensi Interiiori. Certis in locis incipit lues pecorum.

Redit filius meus Josephus Tyrnavia.

Anno 1727. Certa in parte Transylvaniae summa charistia frumenti, unde plurimi fame moriuntur. Lues pecorum certa in parte Transylvaniae continuat. Redit filius meus Joannes Tyrnavia, qui ibi primus magister philosophiae creatus erat. Moritur C. Martinus Josephus Keresztes de Sárpaták, Cottus de Küköllő Comes supr. C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth installatur supr. Judex Reg. sedis Udvarhely;

item Josephus C. Teleki fit Comes supr. Cottus Alben-
sis, B. Ignatius Bornemisza creatur supr. Comes
Cottus Thordensis, Josephus Daniel fit supr. Judex
Reg. sedis Aranyas.

Anno 1728. In vere et aestate summus calor et
summa siccitas, ita, ut in magna parte Transylvaniae
fluvii et lacus exsiccantur, unde etiam penuria in
frumento et foeno maxima.

Moritur 5-a Septembris dilecta mea filia Susanna,
consors C. Joannis Haller in Réten, et sepelitur 31-a
Octobris in Medgyes. Moritur Joannes Antalffi epi-
scopus Transylvaniae. Venit decretum ob correctio-
nem juris et remoratae justitiae. Fiunt comitia Ci-
binii. Delegantur personae, scilicet protonotarii : B.
Andreas Szent-Kereszti, Gregorius Sándor. Item
Andreas Szent-Kereszti fit Baro, diploma ejus publi-
catur, et se incipit scribere de Zágony. Item ad cor-
rectionem juris a Statibus Transylvaniae delegantur
personae, etquidem ex parte Comitatum : Joannes
Torockkai de Torockzó-Szent-György, Daniel Vas
de Czege, uterque Tabulae Reg. assessor, Josephus
Boér de Kucsuláta. Procurator ex parte Comitatum
Michael Halmágyi, procurator fiscalis. Item ex parte
nationis Siculicae : Nicolaus Keresztúri, supr. Judex
Reg. sedis Marus, Stephanus Daniel de Vargyas,
David Henter de Sepsi-Szent-Ivány; item procurator
Michael Váró ex sede Aranyas. Ex natione saxo-
nica : Jacobus Szász ab Hartenek, civis cibiniensis,
Michael Brekner, judex Reg. sedis Újegyház, Ste-
phanus Zeivert, notarius bistriciensis; item procura-
tor nationis saxonicae Petrus Kisvárdai. Medio vero
tempore deficiente Gregorio Sándor protonotario, in

locum ejus substituitur Stephanus Gidófalvi de Sepsi-Szent-Király.

Cibinii quondam templum Patrum Dominicanorum receptum est a lutheranis, et pro interim Patres e Soc. Jesu eodem utuntur ut templo parochiali. Moritur Simon Boér, arcis et districtus Terrae Fogaras supr. capitaneus, cum quo probabiliter et nomen capitanei requiescet. B. Andreas Szent-Kereszti junior fit Tab. Reg. Judiciariae assessor. Item C. Adamus Bethlen, nec non Blasius Literati-Szabó de Csík-Szent-Márton.

Anno 1729. Gregorius Sorger ex Canonico agriensi et suffraganeo succedit episcopus Transylvaniae. C. Franciscus Kornis de Göncz-Ruszká fit Comes supr. Cottus de Küköllum. Sigismundus Kun de Csapó installatur protonotarius regni. Praecedentia tam in Gubernio, quam Tabula Reg. ut inter supremos officiales nec non regalistas determinatur a caesare juxta senium officii, et quidem primo aequaliter inter comites et barones. Conscriptio ad onera publica supportanda patriae, jam bis tentata frustra, de novo demandatur a Sua Matte, et quidem ut per Generalatum, Cameraticam administrationem, supremi belli Commissarium a Vogel et delegatos Gubernii novae rubricae elaborentur, Suae Matti pro ratificatione repraesentandae. Samuel Köleséri de Keresér, per solam gratiam caesaream, ob praeclara merita installatur consiliarius Gubernii, et quamvis natio saxonica per defectum Samuelis Conrád judicis Reg. Mediensis hanc vacantiam praetendebat, asserebatque occulte, quod sine candidature sit resolutus, non tamen contradixit, et sic primo absque candida-

tionem, clementiam caesaream adeptus, factus est consiliarius. Demandaturque a Sua Matte, ut ratio publicarum expensarum patriae exigatur.

25-a Junii jure impetebat a Fisco Reg. ob medietatem pagi Galacz, sed Fiscus fiscalem esse comprobare nequivit; pars media pagi Galacz, vulgo Apaffiana portio, quam hactenus possedi, die 30-a Junii pro fiscali adjudicata est, ubi tamen jam adhuc anno 1514 in perpetuum jus Regium fuit sublatum. Quali quidem iudicio, capere non possum, videat conscientia judicantium, dum haec portio jure sanguinis, per veram genealogiam authenticam remonstrabilem, me concernebat.

Moneta polonica devalvatur, poltura in duos et medium nummum, 4 polturarum, vulgo susták in 10 denarios; zlotones, vulgo valachici dicti, annihilantur, aurei cremnicenses in 5 florenos ungaricales, reliqui vero in 4 flor. et 92 nummos devalvantur. Aurei turcici absolute sublatis sunt.

12-a Julii nemo ex Statibus permittebatur foras per portam Cibiniensem, unde inter Status magna confusio; 13-a tandem solvuntur Comitiae. Excellmus Dnus C. Sigismundus Kornis Transylvaniae Gubernator, fit actualis intimus consiliarius Status Suae Mattis SSmae. Item Barones Stephanus Vesselényi, Georgius Haller, et Joannes, Josephus Bornemisza de Kászon declarantur decretales consilarii Status ejusdem Suae Mattis.

Custodia Patrum Franciscanorum Reformatorum S. Stephani Regis in Transylvania erecta est in Provincialatum primum, primo Provinciale constituto Patre Alexio Csató, Custode Patre Paulo Györffi. Excellmus Dnus Franciscus Paulus Comes a Vallis

resolvitur in Commendantem Generalem Transylvaniae. In Háromszék incipit lues pecorum.

Annus hic fertilissimus erat excepta Sede Háromszék; praecipue Sede Sepsi vina in magna copia provenerunt, sed valde acria et acida. Hoc anno plurimae pluviae, grandines et tonitrua fuerunt, nec non multa fulmina cadebant, varii generis morbi grassati sunt, praecipue catharus cum tussi. Ego etiam a 20-ma Octobris eram in continua alteratione et infirmitate.

Moritur Josephus Daniel de Vargyas supr. Judex Reg. sedis Aranyas. Moritur B. Michael Száva, supr. Comes Cottus de Zaránd, cum quo et familia defecit.

Anno 1730. 2-a Januarii, moritur B. Georgius Haller, Suae Mattis Status et Gubernii consiliarius. Die 15-a Februarii ab oriente ad occidentem vergebat nubes tota rubra per bonam partem coeli in ea forma, prout de nocte incendium in aëre de longe visitur, hora 6-a vespertina. Item tres parelii solis apparuerunt eodem tempore.

Anno superiore resolutus episcopus Transylvaniae Gregorius Sorger die 11-a Februarii Claudiopolim advenit, die 26-a installatus Carolinae. Intrat simul anno eodem resolutus Generalis Commendans Franciscus Paulus Comes a Vallis in Martio. Pro 5-a Junii indicitur congregatio sive diaeta regni Claudiopolim, quo ob continuas pluvias et summam copiam luti, inter ingentes inundationes aquarum, cum summo periculo per octo dies vix pervenire potui. Catalogus regni primo 9-a Junii perlegitur. Post perlectionem subito publicatur Baronatus totius familiae Bánffianae in personis duorum Sigismundorum,

Ladislai, Volfgangi et Petri Bánffiorum. Leguntur simul litterae Generalis Commendantis Comitum Francisci a Vallis ad Gubernatorem datae, ut nova devaluatio pecuniae, jam a Generalatu et Administratione Cameratica publicata, etiam per Gubernium, vi decreti caesarei publicetur, et quidem talis : aureus cremnicensis, venetianus pro interim, et communes aurei in 5 flor. ungaricales, reliqui aurei in 4 flor. ung. et denarios 92; aureus turcicus tollatur. Imperialis caesareus Ludovici XIV regis Galliae, et reliqui in Imperio cussi, prioribus similes, in flor. ung. 2 et nummos 40. Polonici imperialis valor exposit determinabitur. Imperiales hollandici, burgundienses et his similes in flor. ung. 2 et 28 nummos. Leoninus imperialis in flor. ung. 1 et denarios 88. Medius imperialis caesareus Ludovici XIV. regis Galliae et reliqui his similes in Imperio cussi in flor. ung. et denarios 20. Turcici imperiales integri, medii, quadrans nullius erunt valoris. Florenarius quanti veniat, modo datur informatio; zlotones, valachici medii, quadrantes absolute tollantur. Mediorum florenorum caes. et Ludovici XIV, et in Imperio cussa moneta in denarios ung. 60, reliqua nihil valebit. Quadrans imperialis burgundici valebit denarios 57. Ortones polonici, qui modo valebant 50 denarios, constabunt exposit in denarios 44, brandenburgici in 40. Ortones turcici tolluntur. 6 grossorum polonica moneta manet in suo esse, scilicet 36 denariis, Mariani similiter manent in denariis 34; lütterburgici, ragusiani et bavarici 5 grossorum tolluntur. Manet similiter peták in valore hactenus usitato in 14 nummis; similiter 2 grossorum, vulgo susták, valebit denarios 11, grossus caesareus denarios 6; alii grossi tolluntur, sed grossus

polonicus valebit denarios 5; turcicus grossus, uti et medius tollitur. Caesarea et polonica poltura denarios 3. Ragusianus Marianus tollitur. Cruciger caesareus manet in suo esse, reliqui tolluntur. Polonicus cruciger in denario 1 et $\frac{1}{2}$ prout et grossi. Nummus valachicus similiter 2 nummorum valebit in nummo 1.

5-a Junii Comes Vallis caes. Commissarius proposita regia regno proponit.

Subito installatur Gregorius Sorger episcopus Transylvaniae in Gubernii consiliarium, publicatur ejus baronatus, prout resolvitur consiliarius Status. Eodem die baronatus Georgii Vitéz. Installatur David Henter in protonotarium, David Maxai in secretarium Gubernii. Ex parte catholicorum: C. Stephanus Kornis, C. David Petki, C. Joannes Haller, C. Sigmundus Csáki. Ex parte reformatorum vulgo calvinistarum: B. Ladislaus Kemény, C. Georgius Bánffi et C. Adamus Bethlen creantur Camerarii Suae Mattis. Gregorius Barcsai resolvitur supr. Comes Cottus de Zaránd, Josephus Boér de Kucsuláta dum accepit resolutionem in capitaneum supr. Terrae Fogaras, ante installationem vita ejus resolvitur, praesente Dno Nicolao Torma supr. Comite Cottus Szolnok Interioris. Ex relatione ejusdem mihi facta, in pago ejusdem Cottus Ilosva dicto, ubi idem supr., Comes cum plurimis aliis, tam catholicae quam reformatae religionis, interfuisset, absoluto sacro missae sacrificio, uti templum valachicum ingressi fuissent, viderunt iconem Beatissimae Virginis Mariae et Jesuli in sudoribus esse; post exiguum tempus in magna quantitate inceperunt sudare tam Jesuli quam Beatissimae Matris imagines; ex Jesuli imagine exiguus humor

decidebat, in imagine pupillae Beatissimae Matris erant duae guttulae, sed in imaginibus copiosus humor et sudor; praeterea supra imaginis B. Virginis oculos erant duae magnae guttae. Superveniens archidiaconus catholicus Pater Laurentius Menesági, deterisit ex ambabus imaginibus sudorem. Sequenti etiam die in eodem sudore erant imagines. Hoc miraculum incepit die 25-a Februarii, testes sunt catholici, calvinistae et valachi; sed haec imago observata est etiam miraculum edidisse ante irruptionem Tartarorum in Transylvaniam anno 1717.

B. Sigismundus Kemény fit Tabulae Reg. assessor.

Tandem conscriptione patriae posthabita, tres nationes inter se conveniunt ratione contributionis caesareae sic, ut posuerint fundamentum in numeris 100, quos sic repartiti sunt: Comitantes assumserunt in se calculos 37, siculi 17, saxones 38 loca taxalia 8; et durabit haec conventio per annos 3. — Publicatur Baronatus Josephi Boér de Kövesd, et nomen ipsius Boér mutatur in Huszár.

De clementia et benignitate augustissimi imperatoris Caroli VI, regis Hungariae Caroli III, Principis Transylvaniae haereditarii I-mi accipio munus regium et principale, torquem aureum superans in pondere aureos 100; et quia tot benignitates augustissimae Domus, eadem regnante gloriose in Transylvania, domus Aporiana percepit: dignum, ut haeredes Aporiani in perpetuum fideles existant ad ultimam guttam sanguinis augustissimae Domui austriacae.

Similiter accipiunt ejusdem benignissimi imperatoris clementiam in nummismate adamantibus circumdato ejusdemque clementissimi imperatoris interme-

dia imagine: B. Andreas Szent-Kereszti senior, Gubernii consiliarius et regni protonotarius, Andreas Teics, nationis saxonicae comes et iudex Reg. Cibiniensis, Samuel Fest, saxo et consiliarius Gubernii. Item accipiunt monile C. Josephus Teleki, comes supr. Cottus Albensis, Nicolaus Torma, comes supr. Cottus Szolnok Interioris, Sigismundus Kun de Csapó, regni protonotarius, et Georgius Verder, consul Cibiniensis.

Tandem post multorum annorum disceptationes consenserunt acatholici, ut confoederatio Transylvaniae cum Porta Ottomanica in legibus fundata expungatur, et pro illa sanctio pragmatica sanciantur pro haereditaria successione augustissimae Domus austriacae.

Item ut omnes articuli, tam ex Approbatis, quam Compilatis constitutionibus, qui tempore principum acatholicorum quoquo modo contra religionem catholicam sanciti erant, et vel praecipue ut episcopus catholicus abesset, religiosi Soc. Jesu in perpetuum ex Transylvania excederent, quin imo fautores eorum in notam incurrerent, hi, inquam et reliqui, catholicam religionem ferientes legales articuli expungantur, et loco illorum e diametro contrarii sanciantur.

Moritur Andreas Teics, consiliarius Gubernii, nationis saxonicae comes, iudex Reg. Cibiniensis, homo humilis, mansuetus et affabilis; dolendum, quod non solum sectae lutheranae fuerit, sed et haeresi pietistarum clam faverit.

Die 26-a Novembris a fulminis ictu novem domus sunt combustae in Márton-Telke.

Annus hic plane mirabilis erat, et a saeculis vix auditus. Ab initio enim veris usque ad finem fere

autumni extraordinariae pluviae cadebant, hinc inauditae inundationes aquarum multos tam homines, quam jumenta absorpserunt, pluviarum vehementia colles plurimos submersit, molas integras confregit vel usum impedivit, hinc homines ad 5—6 milliaria frumentum ad molas portarunt, quin imo ob defectum molarum vix non publica fames secuta est. Triticum in stramine habuimus, sed ex quo vix de gelima metreta provenit, imo alicubi ex tribus quatuorve gelimis una metreta vix provenit; segetes vernales fere in tota patria nullae fuerant, similiter fructus nulli; ob continuas aquas uvae ad maturitatem pervenire non poterant, immaturasque dum frigus validum invenisset, congelavit, ita, ut fere nullum vinum habuimus, et quod habuimus, aceto deterius erat, si excipias paucula loca, in quibus quasi mediocri vinum provenit. Foenilia aquae obruerunt, hinc foenum et quod fuit, pessimum erat.

Anno 1731. Coronae supra quarundam domorum tectum, prout et supra tectum templi pagi Sárkány in Districtu Terrae Fogaras, sanguinem pluit. Sed hoc fit naturaliter secundum Aristotelem. In nocte quae praecedit diem 27-am Junii, div^{us} Ladislai Hungariae regi sacrum, luna totaliter obscurata est, et lumen absolute perdidit, quod primo circa auroram resumpsit, ubi 26-a Junii hora 6, minuta 5 fuisset in ultimo quadrante. Tempore hoc nullum calendarium lunam ecclipticam notavit, nam quae exigua contigit 20-a Junii, illa visa fuit. Praeterea etiam eclipsis lunae juxta plenilunium solet contingere juxta observationem astrologorum, prout solis ad novilunium.

Annus hic miserabilis, durus et arduus erat, nec

segetes, nec vinum habuimus, et quidem vinum tam in exigua quantitate, ut provectissimae aetatis homines etiam tam exigui vini non recordentur, et quamvis botri nec ad perfectam maturitatem pervenerint, tamen vel luridum mustum tempore vindemiarum floreno vendebatur. Praeterea pluvias habuimus in copia, tempestates plurimas, semper cum ictu fulminum gravia damna causantium, non solum in Transylvania, verum per totam fere Europam; grandines tamen ex misericordia Dei erant pauciores; nubifragia, aquarum exundationes non erant rarae; fuerunt etiam infirmitates variae, variolae, dissenteriae, rheumatismi et insvetae scorbuticae affectiones; accessit ad calamitates has publicas et lues pecorum variis in locis in summo.

Excellmus Dnus C. Sigimundus Kornis de Göncz-Ruszká, Regni Transylvaniae Gubernator, Sacrae Caes. Regiaeque Catholicae Mattis consiliarius actualis Status intimus, prout tota vita sua verus et devotus Marianus, ita in octava immaculae conceptionis Beatissimae Virginis Mariae, 15-a nempe Decembris, ad eandem clementissimam matrem et dominam pietissime in coelos (ut spe firma credo) discessit Claudiopoli. Conquisivit undique per Transylvaniam statuas antiquissimas, haereseos manibus commaculatas, ejusdem patronae Hungariae, quas splendori pristino restituit, et ad devotionem populi ad varia loca sacra collocavit; fuit tota vita humillimus, mansvetissimus, cuique honorem suum condignum reddens, nullum odio, rancore vel ira persequabatur, ad nullius bona adspirabat, et ut haec acquirere possit, nullum vexabat; injuriarum patientissimus, interessentiae nullius, liberalis, praeterea magnanimus cum avavitate,

justitiae amans. Praedico · sancte recordabitur adhuc Transylvania hujus humillimi, de religione catholica et de patria optime meriti viri.

Anno 1732. Fatalis desiit praeteritus annus in morte Gubernatoris Transylvaniae, fatalis incipit iste in morte Palatini Hungariae Nicolai Comitis Pálffy ab Erdőd 20-a Februarii defuncti.

Aurei rursum elewantur, et quidem cremnicenses in 5 florenos ung. et 4 denarios, reliqui in 4 florenos et 98 denarios.

Quamvis subjectum miraculum extra fines Transylvaniae nostrae acciderit, quia tamen etiam patria haec nostra a tempore divi protoregis Stephani semper suos habuit Marianophilos acerrimosque honoris Mariae etiam sub maxima rabie heterodoxorum propugnatores, habetque actu, habebitque, ut spero, ad consummationem saeculi, ideoque tam ad praesentiae, quam futurorum, posterorum nempe nostrorum, verorum magnae Matris nostrae clientum solatium, non fecte, neque ex incerto auditu, sed prout dictum miraculum Admod. R. P. Joannes Kazi e Soc. Jesu, SS. Theologiae doctor jubilatus et actualis Collegii Soc. Jesu Posoniensis rector, adeoque tempore editi miraculi in eadem urbe Posoniensi praesens, perscripsit Admod. R. P. Francisco Csernovics e Soc. Collegii Soc. Jesu Claudiopolitani actuali rectori, qui propriis manibus totam rei seriem mihi perscripsit, eadem et ego fide posteritati transcribo. Quod sic se habet.

In festo S. Georgii Posonii eligendus erat iudex, etquidem lutheranus, pro more in ea civitate alternativo inter haereticos et catholicos recepto; com-

missariis constitutis missa est Vienna informatio, in qua inter caetera puncta erat, ut si constituendus iudex legalem formulam expresso nomine Beatae Mariae Virginis et Sanctorum pronunciare nolle, moneretur a commissariis, placitum rem futurum iudicem, si pronunciaret B. Virginem et Sanctos; si nec sic moveretur, admoneatur secundo, minus placitum caesari, si ad integram pronunciandam formulam se non resolverit; si post hoc etiam obstinatus esse pergeret, dissimuletur pro hoc actu. Eligitur iudex Dnus Mikos; in jurando ad B. Virginem et Sanctos subticuerat; monetur primo et secundo juxta instructionem (praevis nimirum lutheranis communicatam), recusat, et id se propter dogma suum facere non posse profitetur. Absoluta reliqua iuramenti formula constituitur iudex. Post caerimonias peractas rediturus domum, rogatur ab amico, cur tam obstinatus fuisset ad admonitiones caesarei commissarii? reposuit: paratum fuisse, etiam praemissa confessione, communionem et professionem fidei catholicae, jurare expressis omnibus, si rem serio caesar demandasset. Sequenti die, dum praesidet senatui, adsunt duo e Reg. Consilio, et iubent scripto reddi rationem, cur legalem formulam integram non pronunciasset? Annuit ille, et ecce dum calamus in atramentum intingit, et ad scribendum se inclinat, apoplexia tangitur, eademque die sub vespere hora sexta expirat. Eligitur post illum Dnus Purgstall, pariter lutheranus, atque ideo sicut prior ad exprimendum nomen B. Virginis et Sanctorum obstinatus, nihil moratus iteratas admonitiones commissarii caesarei. At dum praetergreditur in exprimendo B. Virginem cum Sanctis, tantus tremor invasit elevatam tempore

juramenti manum dexteram, ut illam sinistra manu succollare debuerit, usque ad finem formulae juramenti. Horum duorum casui lutheranus senator, nomine Maternus, et prae turbatione in Dni Purgstall casu, fulmine apoplectico ictus, statim obiit; alter item electus tribunus plebis, qui pariter aderat, eodem fulmine prostratus apoplectico, domum alienis manibus relatus est, morti quam vitae producendae proximior. A morte primi judicis, scilicet Dni Mikos, statim caput ejus adeo monstrose intumuit, ut reliquum obesi alias corporis facile aequaverit, tanto emissio foetore, ut vix e numero acatholicorum reperti fuerint, qui funeri efferendo suffecerint.

Casus iste ingentem motum tum Viennae, tum Posonii fecit.

Discite Anti-Mariani, et videte, quia unigenitus Mariae filius vindex sit honoris Matris suae.

Mancipium Mariae, persecutorem Mariae, subitanea morte sublatum judicem Posoniensem hoc epitaphio comitatus est :

Qui Christi matrem vesano carpserrat ore,
Vindicis hinc nati dextera justa necat,
Et qui mordaci contempsit voce Mariam,
Elinguis subito Ditis ad antra ruit.
Si sapit, hinc discat Lutheri falsa propago,
Quid Deus ac rex, lex, quidve Maria velint.

Excellmus Dnus Generalis Commendans Franciscus Paulus a Vallis decretaliter constituitur praeses Gubernii Reg. Miraberis forte posteritas, cur non ungarus aliquis? noli mirari, neque optimum principem nostrum haereditarium futuro tempore culpes, sed considera, de occasione domini acquirendi reliquas inter causas quod hanc apponat Campanella Cap. 11. Aphorismo 2: „Item, divisio provinciae

occupandae in regulos plures et respublicas discordes, magis autem in sectas varias.“ Bone Deus! qualis modo discordia et quot sectae in nostra Transylvania! Haec, haec sententia praecipitavit, praecipitat et praecipitabit semper nos ungaros. Quia vero moesto corde, lacrymantibus oculis video hanc discordiam et tot sectas, quae sit modo discordia inter nostram rempublicam et magnates nostros, ne etiam posteritati patriam diligenti moerori ansam praebeam, consulto omitto.

Eidem Excellmo Dno Generali Comiti Francisco Paulo a Vallis 15-a Septembris a Reg. Gubernio, supremis trium nationum officialibus, nec non deputatis, item praesentibus Tabulae Reg. assessoribus et regalistis, tempore anticipationis Cibinii congregatis oblatus est indigenatus; etquidem ex parte Gubernii per B. Ladislaum Kemény et Georgium Bálinti, ex parte Comitatum per C. Davidem Petki supr. comitem Cottus Colosiensis, ex parte siculica per B. Petrum Apor supr. iudicem Reg. trium sedium siculicalium Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklósvár, ex parte nationis saxonicae per Jacobum Sacz villicum cibiniensem, denique ex parte procerum per Adamum Radák, quem etiam acceptavit, offerendo se ad omne bonum patriae procurandum. Hoc est initium; credo, plures poteris notare ex post, posteritas.

Marchio Visconti impetrat a Sua Matte dominium Devense et simul diploma indigenatus. Hic etiam primus alienigena possessor est in Transylvania; plures certo videbis, posteritas.

Rursum Generali Commendanti et praesidi Gubernii a Sua Matte confertur Dominium Küköllöváriense, nimirum Comiti Francisco Paulo a Vallis.

Moritur Josephus Teleki Comes Sacri Rom. Imperii, supr. Comes Cottus Albensis Transylvaniae, comitatensibus parum gratus, alias vir summus, et quasi admirabilis oeconomus.

Ceres hoc anno exulabat, tam quoad autumnalia, quam vernalia, Bacchus medium dominium habebat sed bonum, tempestates, fulmina et grandines dominabantur; mures, a memoria hominum non auditi in tanta copia, exiguas etiam segetes depascebant. Lues pecorum continuat.

Moritur Samuel Köleséri de Keresér, gubernialis consiliarius, medicus excellentissimus, adeoque per fortunam promotus, cujus tanta erat in re medica aestimatio, ut qui malesanus ejus praescriptionibus uti poterat, benesanus jam etiam se putabat.

Anno 1733 10-ma Januarii quadrante tertio ad 10-mam matutinam erat terrae motus.

Diaeta regni celebratur Cibinii 26-a Februarii, ad quam primo regalibus vocatur filius meus Josephus Apor, quo ob viarum difficultatem 27-a pervenio. Sed 26-a statim legitur catalogus regni, eademque die publicatur resolutio caesarea, quod quondam tempore principum hungarorum quae partes Hungariae pertinebant ad Transylvaniam, ex iis certa pars Cottus de Zaránd, Cottus Szolnok Mediocris, Cottus Kraszna et Districtus Kőváriensis tam in juridicis, quam in politicis et quoad contributionem manebunt sub directione Transylvanica, altera vero pars Cottus de Zaránd, nec non Cottus Arad et Máramaros redibunt ad corpus regni Hungariae. 27-a vero Februarii publicatur Baronatus Sigismundi Korda, nec non Josephi et filiorum Georgii Naláczii. Resolvuntur of-

ficiales supremi: pro Districtu Terrae Fogaras Joannes Toroczkai de Toroczkó-Szent-György, pro supr. vero judice Reg. sedis Aranyas Alexius Orbán de Lengyelfalva. 2-a Martii publicatur Baronatus Joannis Klein, episcopi ritus graeci; dicto die publicatus fuit Baronatus Joannis Lázár de Gyalakuta. 27-a Sabesio concessas nundinas pro 29-a Januarii publicarunt. 2-a Martii publicarunt privilegium nundinarum C. Emerici Bethlen pro diebus 4-a et 31-a Martii in Alsó-Rákos. Item nundinae concessae sunt oppido Szász-Régen pro 23-a Octobris. Die 3-a Martii publicatur diploma indigenatus Excellmi Dni Comitis Generalis Commendantis Francisci Pauli a Vallis, nec non ad ejus instantiam apud Suam Matrem factam ejusdem fratris Georgii Oliveri, similiter nepotis ejusdem Francisci Venceslai a Vallis. Subito vero inclyti Status eidem congratulantur solenni legatione per B. Petrum Apor, qui vicissim et sanguine suo, si occasio sic tulerit, patriae huic servituum se promisit. 5-a vero Martii in concursu omnium Statuum Comites Franciscus Paulus et nepos ejus Franciscus Venceslaus a Vallis, unius legionis pedestris ordinis supremus tribunus, consuetum et solenne juramentum deponunt, et Paulus Franciscus, tam nomine suo, quam fratris et nepotis, in scriptis per protonotarium Davidem Henter lectis gratias Statibus agit, quod in indigenam receptus sit. Cui e contra nomine Statuum laconica dictione congratulatur B. Georgius Sorger episcopus Transylvaniae. 9-a Martii publicatur diploma indigenatus Julii Borromaei Aresii Comitis Visconti, a quo Status taxam indigenatus praetendebant. Item publicatum est privilegium confirmatum auctorum Fogarasiensium. 10-a Martii comparuit inter

Status Commissarius Reg. Excellmus Dnus C. Paulus Franciscus a Vallis, qui nomine Suae Mattis proposita regia regno proposuit: 1) ut loco Gubernatoris defuncti C. Sigismundi Kornis libere per vota tres personae e religione catholica, et tres ab acatholica candidentur, sed ut candidatio tam occulte fiat, ut quivis per schedam candidet, non appposito nomine, eamque candelationem excipiant occultissime episcopus catholicus B. Georgius Sorger et tres regni protonotarii, hi tamen ad secretum observandum fide sint obstricti; 2) denominati sunt in locum defunctorum neoresoluti officiales, et C. Joannes Haller subito deposuit juramentum solenne pro consiliario Gubernii, similiter Simon Bauszner, qui etiam est resolutus Comes nationis saxonicae; publicatur etiam Franciscus Cziko de Csik-Mind-Szent pro Tabulae Reg. assessore; mandatur quoque, ut in locum promotorum et vacantiarum nova candidatio fiat. Episcopus ritus graeci B. Joannes Klein decretaliter cum voto in numerum Statuum recipitur. 12-a Martii fit votisatio pro candelatione officii vacantis Gubernatoris. 13-a Martii publicantur vota pro officio Gubernatoris inter Status, etquidem ex parte catholicorum electi sunt pro Gubernatore: C. Paulus Franciscus a Vallis, modernus Generalis Commendans, votis 92, C. Stephanus Kornis, votis 79, C. David Petki, votis 71. Ex parte vero calvinistarum: B. Stephanus Veselényi votis 141, Ladislaus Kemény votis 149, C. Georgius Bánffy 121. Publicatur privilegium cerdonum thordensium confirmatum, item nundinae in pagum Trisztia districtus Hátszegiensis pro 2-a Februarii et festo S. Jacobi 25-a Julii incidentis stylo veteri, ad instantiam Dni Directoris fiscalis Emerici Csulai. Die 26-a Martii

fit votisatio pro supplemento vacantiae consiliarii Gubernialis. Publicatur Baronatus defuncti Ladislai Korda pro filio ejus Georgio. Joannis Steinhilbert indigenatus, prout fuit suspensus ob non depositionem taxae, per decretum caesareum taxa est relaxata, et in indigenam receptus est. Proponit Fiscus Reg., ut ubicumque sales caesareos portantes currus a teloniis sint exempti, secus qui telonium exigeret, sale nobilitari carebit. 17-a Martii ad vacans officium consiliariatus gubernialis in locum Samuelis Köleséri electi sunt ex catholicis : C. David Petki, votis 65, B. Petrus Apor, votis 35, C. Ladislaus Gyulaffi, votis 29; ex reformatis vulgo calvinistis : C. Alexander Teleki, votis 61, C. Adamus Bethlen, votis 51, C. Georgius Bánffi, votis 41; ex natione saxonica Dnus Michael Zekelius. consul cibiniensis, Dnus Stephanus Flistich, pro-judex coronensis, Dnus Joannes Kinder, primarius consul cibiniensis, votis totius almae nationis saxonicae. Joannes Georgius Steinhilbert incorporatus, more et stylo solito juramentum deposuit. Ad instantiam Dnorum Sigismundi Edelpacher, Antonii item Pauer a Drauth, ut et Antonii Peschini, Nicolai Frankovich et Michaelis Drentich, ratione publicationis indigenatus eorum factam, in eo consensere Status, ut considerata Suae Mattis ipsis, intuitu privatorum suorum meritorum, indulta indigenatus collatione, indisputabiliter recipiantur quidem pro indigenis, suo modo et tempore interim sollicite-tur Suae Mattis SSmae super resolutione taxae indigenatus benigna determinatio, qua obtenta, exposit indigenatus ipsorum publicetur, ac tandem deposito juramento, et determinanda a Sua Matte SSma taxa exoluta. inaugurentur. 18-a Martii Antonii Pauer a

Drauth indigenatus taxa in gratiam Excellmi Dni Generalis Commendantis C. Pauli a Vallis relaxatur, et privilegium ejus publicatur. Publicantur item nundinae ad instantiam Dni C. Michaelis Teleki in Districtu Kőváriensi in pagum Hagymás-Lápos pro 31-a Martii. 19-a Martii moritur B. Sigismundus Jósika Cottus Hunyadiensis supr. Comes, a pueritia meus addictissimus et sincerissimus amicus. 21-a Martii moritur Joannes Drauth, villicus coronensis, sub diaeta, ex primaria familia incolarum ejusdem urbis, qui primus reversus est ad fidem salvificam romanam; uterque vero sepultus est in templo Societatis Jesu hic Cibinii. 23-a Martii Franciscus Czikó deponit juramentum pro assessoratu Tabulae Judiciariae Reg. Hic Franciscus Czikó ex infimo statu assumptus est, nam et armales nobilitares solus impetravit, sed quia duxerat in uxorem sororem Cancellarii B. Joannis Bornemisza de Kászón a patre germanam, per ejusdem intercessionem impetravit hanc clementiam caesaream; hinc inter Status varii discursus et magnus disgustus contra praedictum Cancellarium, quod summis familiis praeposuerit ¹⁾. Alias Dnus Czikó est bonae eruditionis. Publicatur item decretum caesareum, ut B. Joannes Klein pro episcopo ritus graeci ab omnibus agnoscatur sub titulo Fogarasiensis, et debita assistentia ipsi detur pro munere suo effectuando. 26-a Martii nomine sui mandatarii Excellmi Dni superius nominati C. a Visconti Joannes Kok deposuit solenne juramentum indigenatus. Similiter eadem die relaxata fuit taxa indigenatus Andreae Heisz, germani, sed jurati assessoris sedis Udvarhely. 27-a Martii An-

¹⁾ Némely példányban: Nulla tam modesta est felicitas, quae malignantis invidiae dentes vitare possit, commune axioma.

dreas Heisz juramentum indigenatus deposuit. Solvitur diaeta, et hoc ipso die Cibinio exeo.

5-a May cum Dno C. Joanne Haller installavi Dnum Joannem Toroczkai. in capitaneum supr. arcis et Districtus Fogarasiensis, in porta interiori arcis Fogaras, anno aetatis suae 58, qui ob varias animi corporisque dotes et plurima servitia patriae huic facta, pridem officio supremo et etiam majori dignus erat, sed quia fortuna ei non favit, non virtus, sed fortuna novercabatur. Idem Dnus Joannes Toroczkai ab infantia quasi erat meus singularissimus et addictissimus amicus et condiscipulus quondam in syntaxi Claudiopoli anno 1690, et in studiis concertator acerrimus, cum quo convixi quatuor annis in convictu Claudiopoli, et ab eo tempore semper eramus amicissimi.

Moniales Sanctae Ursulae in Transylvaniam intrant, et se locant ad templum quondam Patrum Dominicanorum Cibinii. Nomina autem monialium quae intrarunt sunt haec: Comitissa Mater Josepha Kéri abbatissa, Comitissa Mater Maria Christina Zichi, Comitissa Mater Petronella Barkóczi, perillustis Mater Francisca Randis, Baronissa Rosalia Morocz, Baronissa Mater Josepha Péterffi, nobilis Mater Theresia; item honesta puella Segefrida Maria Elisabetha, quae 8-a Septembris habitum induit.

Rndiss. Dnus Joannes Theodorus Ponczin, proto-notarius apostolicus, capellanus Excellmi Dni Generalis Commendantis Transylvaniae Comitum Francisci Pauli a Vallis, fit canonicus Albae-Carolinensis. Et in hoc primo intrant germani ad Capitulum.

Eodem hoc anno moritur monialis prima Mater Baronissa Josepha Péterffi,

Anno hoc et Bacchus et Ceres in coronis comparuissent, si pruina in Majo vineas non vastasset — hinc exiguus vini proventus — item grando 17 pagorum territoria sedis Sepsî non conquastasset.

Anno 1734. Circa horam 11-mam ante mediam noctem die 25-a Januarii apparuit quidam ignis a septemtrione emergens in coelo instar fulguris, ast multo clarior et lucidior fulgure, ad cujus claritatem et pecunia dignosci poterat; vergebat versus austrum in linea gracili, pergebat non ut fulgur; erat tempus nubilum.

Observe posteritas: me duos tropicos paschales, hoc est duos extremos terminos paschales attigisse; nam anno 1693, ut superius videre est, dum Claudio-poli in secundo anno rhetoricae fuisset, pascha incidebat in diem 22-am Martii, quo citius incidere non potest; hoc vero anno incidit in diem 25-am Aprilis, ultra quem incidere non potest; attigi praeterea etiam omnes intermedios paschales dies praeter 24-am Martii et 23-am Aprilis. Sed ut ex epactis observo, nec potest dari uni aetati hominis, ut omnes omnino dies, tam extremos quam intermedios, paschales ad unicum supervivat. Dies vero haec paschalis 25-a Aprilis vehementi et frigidissimo vento occidentali, subinde pura, subinde nivibus intermixta pluvia, subinde puris nivibus per totam diem infestabatur.

Die 28-a Aprilis moritur Excellmus ac Illrimus Dnus L. B. Stephanus Veselényi de Hadad, Sacrae Caes. Reg.que catholicae Mattis Status et Exc. Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus, bis a Statibus Transylvaniae in Gubernatorem electus, vir alias mitis genii et mansuetus, sed Calvinismi fortis pro-

pugnator, qui fuit simul Cottus Szolnok Mediocris supr. Comes et Statuum praesidens.

Moritur Samuel Fest, saxo, senator cibiniensis et Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, qui primus ex senatoribus cibiniensibus agnovit errores pestiferos Lutheri, et transivit ad fidem salvificam romano-catholicam.

Moritur B. Ladislaus Kemény, principis quondam Transylvaniae regnantis Joannis Kemény ultimus nepos, Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, vir humillimus, affabilissimus et omnibus patriae filiis acceptissimus, qui nunquam aliquod officium sollicitavit, etiam consiliarius Gubernii factus est absque ulla sollicitatione, solum ex innata clementia augustissimi imperatoris Caroli VI; qui vir ex merito multa merebatur officia, nam etiam anno 1733 a Statibus Transylvaniae erat candidatus pro officio Gubernatoris votis 149.

In superiori Austria domini terrestres subditos suos lutheranos, eo, quod ab haeresi converti noluerunt ad fidem salvificam catholicam, expulerunt, quos tamen Sua Caes. Reg. Mattas tanquam haereditarios suos subditos noluit ut ad alterius regis vel principis terras migrarent, sed disposuit eos in Transylvaniam; qui quia volebant ad hanc patriam venire, vincti, multi in compedibus ex illis ducti sunt ad naves, et Danubio mediante deportati, expositi venerunt in Transylvaniam familiae numero 47, personae 263, quos saxones transylvanici, tanquam fortissimos Lutheri athletas, sed vel praecipue cibinienses, cum tripudio exceperunt, varia esculenta et poculenta ipsis obviam portantes, exceperunt concione lutherana praevia, in qua praedicans ipsos animabat, quod

ob talem religionem patiuntur, in qua solus damnetur si damnabuntur. Et verum dixit, nam de fide est, quod si manserit lutheranus, certo damnabitur, ergo et illi, quos sua concione non damnandos animabat. Verum quales illas personas video, nec angeli multum perdiderunt, nec diaboli multum lucrati sunt.

De mandato caesareo-regio indicitur diaeta Cibirium pro 22-a Novembris, sed quia nondum advenerat decretum caesareum, usque ad 2-am Decembris Status absque ullo labore manebant in suis hospitibus. Et quia placuit Caes. Matti, nullum ex candidatis anno superiore pro vacante officio Gubernatoris resolvere, verum C. Joannem Haller confirmare: ideo eadem die, praefatus Dnus Comes, lecto prius catalogo regni, per Excellmum Dnum C. Paulum Franciscum a Vallis, Generalem Commendantem Transylvaniae, tanquam Commissarium Reg. fuit installatus, solenneque juramentum deposuit. Explosa sunt tormenta sex vicibus tribus, primo dum advenit inter Status, secundo dum juramentum deposuit, tertio dum ad hospitium regressus, ad illud pervenit. Expost Excellmus Dnus Generalis fatus potiore partem Status lautissimo excepit prandio, subito vero Status solenni legatione congratulati sunt neo Excellmo Dno Gubernatori per B. Petrum Apor supr. judicem Reg. sedium siculicalium Sepsi, Kezdi et Orbai ut et Miklós-vár, C. Franciscum Kornis, Comitem supr. Cottus de Küköllő, et Michaellem Zekelium consulem cibiniensem, et Comitatum ac Sedium quosdam deputatos. Expost tam Reg. Gubernium, quam Status comitati sunt Dnum neo-Gubernatorem ad suam domum.

Die 3-a Decembris publicatur Baronatus Dni Joannis Toroczkaï, supr. capitanei Terrae Fogaras;

legitur decretum caesareum, ut in locum vacantiae gubernialium personarum, nempe B. Stephani Vese-lényi simul et praesidentis, B. Ladislai Kemény, et in modo in Gubernatorem confirmati C. Joannis Hal-ler nova fiat candidatio. Oritur quaestio inter Status, num non existente et mortuo praeside, juridica diae-talia possint tractari, et deciditur per Status: minime, nulla enim substitutio praesidis valet, nisi idem in vivis sit et actu in diaeta praesens sit.

Die 5-a Decembris novus Gubernator lauto ex-cipit convivio Generalem Commendantem, multos officiales germanos, item magnatum hungarorum pri-mam planam; in altero vero hypocausto simili fere convivio excipiuntur Comitatum, Sedium et locorum taxalium ablegati; sequentibus autem diebus reliqui magnates et regalistae convivantur apud dictum Dnum Gubernatorem.

Die 7-a et 9-a etiam Decembris fit electio et vo-tisatio pro Praeside Regni et tribus deficientibus Gubernii consiliariis.

David Maxai secretarius gubernialis mediante diplomate mutavit nomen Maxai in Máriaffi de Maxa.

Die 14-a Decembris publicantur privilegio-funda-tionales Imperatorio-Regiae Mattis Monialium cibini-ensium. Has Dnus consul cibiniensis Michael Zekelius in paribus expetebat, sed a Statibus est denegatum. Eadem die publicatus absque ulla contradictione in-digenatus Dni C. Nicolai Rosseti, natu moldavi, quondam principis Valachiae Constantini Brankovani generi, solenneque juramentum deposuit. Die 15-a Decembris publicantur per vota electae personae; pro Praesidente, ex parte catholicorum: Dnus Can-cellarius B. Joannes Bornemisza, modo Viennae re-

sidens, votis 54, C. Stephanus Kornis, votis 90, C. David Petki votis 60; ex parte reformatorum vulgo calvinistarum: B. Andreas Szent-Kereszti, votis 81, C. Georgius Bánffi, votis 72, C. Adamus Bethlen, votis 62. Pro vacante officio gubernialis consilarii, ad unam vacantiam ex parte catholicorum: C. David Petki, votis 102, C. Ladislaus Gyulaffi, votis 93, C. Franciscus Lázár, votis 78; ad alteram vacantiam B. Petrus Apor, votis 72, B. Joannes Toroczkaï, votis 73, B. Ignatius Bornemisza, votis 57; ad tertiam vacantiam C. Sigismundus Csáki, votis 73, B. Franciscus Haller, votis 39, Dnus Nicolaus Keresztúri, votis 45. Ex parte vero reformatorum vulgo calvinistarum, pro una vacantia: C. Georgius Bánffi, votis 64, C. Adamus Bethlen, votis 66, Sacri Rom. Imp. Comes Alexander Teleki, votis 56; ad alteram vacantiam: B. Samuel Kemény, votis 52, B. Sigismundus Bánffi junior, votis 43, B. Daniel Jósika, votis 46; ad tertiam vacantiam: Dnus Daniel Vas de Czege, votis 35, C. Josephus Bethlen, votis 32, Dnus Gabriel Alvinczi, votis 32.

Hac eadem die 15-a Decembris solvitur diaeta, et ego exeo Cibinio.

De anno praesenti 1734 antiquissimum tale existit prognosticon:

Quando Georgius crux clamabit,
 Et si Marcus pascha dabit,
 Anton pentecosten celebrabit,
 Corpus in Joanne stabit:
 Totus mundus vae clamabit,
 Et Europa sanguinabit;

hoc est: dum dicta festa mobilia in dictis festis immobilibus celebrabuntur, tunc totus mundus vae clamabit etc. Et certo prognosticon utcunque impletum

est. Nam anno 1733 mortuo augusto rege Poloniae, mox Polonia in dupplicem factionem descendit; pars una elegit in regem Stanislaum (jam antea etiam electum contra legitimum regem Augustum, qui tamen legitimo regi tandem debuit cedere, et vitam in exilio ducere hactenus), Stanislai hujus filiam duxerat Ludovicus XV rex Galliae, adeoque socer regis erat. Pars altera elegit in regem Fridericum Augustum Electorem Saxoniae, filium defuncti regis Poloniae Augusti, qui duxerat in uxorem filiam majorem piae reminiscentiae augustissimi imperatoris Josephi I, Mariam Josepham, adeoque augustissimo imperatori Carolo VI affinem. Verum audita electione Stanislai, autocratrix Moschoviae subito contra ipsum formidabilem in Poloniam expedit exercitum. Hinc inter regum assecclas et hodie non exigua sanguinis christiani effusio, ita, ut respublica etiam Dantiscana armis moschoviticiis adacta fuit deditionem facere regi Augusto, quae hactenus mordicus adhaeserat regi Stanislao. Hinc quamvis augustissimus noster Carolus VI nullam hostilitatem contra electionem Stanislai ostenderit, et tres ante annos ad 45 millia militum a signis suis dimitti jussisset, tamen rex Galliae Ludovicus XV, cum alliantia regum Hispaniae et Sardiniae, adhuc anno 1733 Jussubiam invadit, Kehlense fortalitium et Ducatum Mediolanensem cum aliis praesidiis occupat. Caesareus hoc anno miles ad Parmam fortissimum Gallorum vallum gloriose aggreditur, ubi post octo horarum atrocissimum proelium caesarei recedunt, in ipso assultu gloriose occumbente caesareo polemarcho Comite de Mersi, Comes vero Kinigszeg caesareus polemarchus vicem reddidit Gallo. Praeterea in Imperio Philisburgum

Gallus expugnat, ita similiter in regno Neapolis aliquot fortalitia. Hinc in Imperio, Italia, Neapoli, Sicilia ingens christiani sanguinis effusio, sed ubique militia caesarea hungarica gloriosos et heroicos actus praestitit, semper mastix Gallorum. Hungariam et Transylvaniam Deus hoc anno a sanguinis effusione custodivit, quamvis nos transylvani non sine metu tartarico fuerimus, tota enim hieme chamus tartarorum erat in Bucsák loco Kausan dicto, in aestate vero ad Huttinum. Sed et Turcia et Persia effundebat sanguinem humanum contra invicem in abundantia, et Sinenses cum Magno Mogolio congressi, atrocia praelia committebant. Luctuosius tristissima persecutio catholicorum in Sinis, quos hollandi, more haereticis solito, mille calumniis Sinis deferebant. Talis est haeresis, quae quia propriam etiam salutem parum curat, mavult, ut gentes in gentilismo et idololatria permaneant, quam ut ad cognitionem veri Dei perveniant.

In Transylvania fere tota, excepta sede Háromszék, in vino et frumento copia. Interim talia tonitrua, qualia mea vita non audivi, fulminum creberimi casus, grandines tantae magnitudinis, quantae nux major, plurima territoria vastavit, venti tam potentes, ut integra et fortissima etiam aedificia confregerint; infirmi vero, praecipue in febribus et dysenteria tot, ut fere sanos aequaverint. Hinc apparet non vanum fuisse prognosticon de praesenti anno. Etiam ego per octo septimanas valetudinarius fueram in autumno. Hiems erat sicca, similiter ver, aestas vero tota pluviosa, quin imo subinde ad horae unius cadentis pluviae tales sequebantur inextinctiones, quales vix imaginari potest. Autumnus iterum

totus siccus, nisi circa festum Omnium SS. pluvius, finis vero Novembris prout et Decembris frigidissimus et siccissimus. In sede saxonica Rupensi (vulgo Köhalom), pago Halmágy tam gravis infirmitas calida fuit, ut aeger semper debuerit sedere in aqua frigidissima aut plane glaciale, nec quidquam quiescere potuit, nisi in indusio madido et frigidissimo. Ultimi tamen dies Decembris calidi, hinc nocte quae 30-am Decembris antecedit, erat fulgur et tonitru.

Anno 1735. Nicolaus Márton, dudum natus in Al-Torja, qui quondam me a primo A iustruere cepit, prius quidem per duos annos ludimagister in Sz. Kátolna, quinquaginta vero septem continuis annis ludimagister in dicta Al-Torja, moritur 14-a Februarii, homo piissimus et zelosissimus. Observa posteritas, an tuo tempore tot annos complebit in una parochia unus ludimagister.

Praeclarae personae obiverunt: C. Sigismundus Csáki de Keresztszeg, Sacrae Caes. Regue Catholicae Mattis camerarius, ad magnam spem patriae natus, si fata tulissent, mortuus enim anno aetatis 44; item Daniel Vas de Czege, Tabulae Reg. assessor, in bona senectute.

In initio veris magnus metus in Transylvania, nam ad Gyulam quidam rascianus Pero nomine, quondam capitaneus Rákóczianus, vir alioquin militaris et circiter octogenarius, concitavit primo pagum S. Andreae, ex post alios duos ad rebellionem, qui insurgentes 1700 erant congregati, et nisi in herba fuissent suffocati, metuendum erat, ne malum ultra serperet. Verum congregati aliquot Comitatus et militia Aradiensis in tempore eos dissiparunt, primoque

Aradiensis militia hos nebulones 9-a Maji aggressa, partim interfecerunt, partim captivarunt. Primores ducti Viennam, inferiores armis spoliati, ad stivam remissi. Et sic nos Deus a metu liberavit.

Moritur tempore anticipationis Cibinii C. Georgius Bánffi de Losoncz, morte repentina, an suffocatione, an apoplexia, ignotum; sumpta caena, dum vesperi se posuisset ad lectum, circa crepusculum magnos habebat raucos, quibus cessantibus, dum famulus cum notario accurrisset, jam vix spirantem invenit. Fuit homo mitis et placidus, in suam religionem Helveticae confessionis mire beneficus, caesareus camerarius, incl. Cottus Dobocensis supr. Comes, C. Georgii Bánffi, quondam Gubernatoris Transylvaniae, et Clarae Bethlen, C. Gregorii Bethlen Transylvaniae Generalis filiae, filius; qui 26-a Septembris cum solenni pompa eductus est Cibinio, praesentibus proceribus Transylvaniae et plurimis officialibus caesareis militaribus.

Una canissa sagax (vulgo vizsla) Diana nuncupata, circa finem Augusti in domo mea nobilitari in pago Kis-Nyujtód quinque catulos praecise per os suum edidit, contra naturam.

Die 9-a Novembris C. Adamus de Bethlen installatur in supr. Comitem Cottus Albensis in Mártonfalva.

Die 28-a Novembris C. Antonius Kornis installatur supr. comes Cottus Hunyadiensis. Die eodem 28-a Novemb. resoluti guberniales personae, utpote: B. Sigismundus Bánffi junior, B. Josephus Nalácz, Stephanus Flistik iudex coronensis, nec non Dnus Herbst coronensis, in guberniales personas installantur. C. vero David l'etki, qui primus inter hos est, ob infirmitatem absens, proxime installabitur.

Die . . . Novembris quoddam meteorum igneum globi instar ab austro in sede Háromszék vergebat ad boream cum summo fulgure, ubique tonitrua et fulgura post se relinquens, et dum clima superaret, apparebat ac si presbyteri sacris induti funeralibus vestibus procederent.

In anno hoc continuæ pluviae per totam Transylvaniam tam in vineis, quam in segetibus non exigua damna causarunt, præcipue ingentes pruinae et gelu certis in locis ante vindemiam vineas vastarunt, cum exiguo proventu vini; certis tamen in locis plurimum de vino et dulcissimum fuit; ex tritici gelima vix metreta provenit; vernalia fere nulla fuerunt.

Anno 1736. Die 31-a Januarii moritur B. Andreas Szent-Kereszti senior Cibinii, qui ut lutheranus ex oppido Hungariae Szent-Kereszt in Transylvaniam veniens, prius organistam egit apud Patres Claudiopolitanos, ex post factus calvinista, minora officia obibat in urbe Claudiopolitana, factus denique Tabulae Reg. procurator, ob eruditionem anno 1695 a calvinistis missus Viennam pro referendario secretario, ibi usque ad annum 1713 dexterrime se gerens, plurima bona, tam pecunia a Camera, quam ex gratia Suae Mattis acquisivit, denique ex innata benignitate augustissimi imperatoris Caroli VI factus Baro, regni protonotarius et consiliarius Gubernii. Vir bonus, jurista et expeditor excellentissimus; hic bona etiam in Zágony, in sede Orbai, procuravit. Nota posteritas, quod per mortem hujus Baronis Szent-Kereszti supervixerim omnes consiliarios, qui fuerunt sub regnante principe Michaele Apaffi, item qui erant

sub duobus Gubernatoribus, Comitibus scilicet Georgio Bánffi et Sigismundo Kornis.

Occasione nuptiarum serenissimae archiducissae primogenitae Theresiae augustissimi imperatoris Caroli VI cum serenissimo duce Lotharingiae Excellmus Dnus Gubernator Transylvaniae C. Joannes Haller creatus est consiliarius Status intimus actualis Suae Mattis; similiter consiliarii Status cum titulo Excellentiae creati sunt C. Stephanus Kornis et C. Adamus de Bethlen.

Eadem occasione C. Ladislaus Gyulaffi, C. Stephanus Gyulai, B. Franciscus Haller et B. Franciscus Vesselényi creati sunt camerarii Suae Mattis actuales.

In hyeme et vere varia mirabilia, et plura meteora ignea apparuerunt in coelis; crux candida apparuit in coelis ad Deés.

Sigismundus Csató de Delne mittitur Viennam pro consiliario Cancellariae Aulico-Transylvanicae.

Indicitur diaeta pro 11-a Maji Cibinium. 12-a legitur catalogus. 14-a Commissarius Reg. propositiones proponit. 23-a Maji tentarunt per deputatos tres nationes, si ratione contributionis convenire potuissent, sed non potuerunt. 24-a Maji cum placuerit Suae Matti Continuum Tabulam Judiciariam erigere, distinctumque praesidem Statuum et Tabulae constituere, sic pro praeside Tabulae installatus est Dnus B. Georgius Pongrácz. Eodem die pro Tabulae Reg. assessoribus iuramentum deposuerunt: DD. BB. Franciscus Haller et Joannes Lázár de Gyalakuta. 28-a Maji erat summa disceptatio inter Status prout et in Gubernio, an pro officio pro-cancellarii Viennam debeat ne votisatio fieri in secreto per schedulas, aut

per voces expressas; et per majora vota in Gubernio decisum est, per voces. 29-a fit votisatio pro pro-cancellario Viennam mittendo in locum B. Joannis Bornemisza, in praesidem Status evecti, item pro consiliario Gubernii et distinctim pro protonotario in locum defuncti B. Andreae Szent-Kereszti. Hesterna disceptatio ratione votisationis sic est decisa, ut qui per voces voluerit, per voces, qui per schedas, per schedas votiset. 30-a continuatur votisatio. 1-a Junii publicatur votisatio, etquidem pro pro-cancellario electi sunt: Georgius Bálintith, votis 68, C. Ladislaus Gyulaffi, votis 82, B. Ignatius Bornemisza, votis 125, B. Petrus Apor votis 59, B. Georgius Pongrácz votis 45. Pro consiliario, ex parte catholicorum: B. Petrus Apor, votis 37, B. Joannes Torocz-kai, votis 30, C. Franciscus Lázár, votis 17; ex parte reformationum sive calvinistarum: C. Adamus Bethlen, votis 128, C. Alexander Teleki, votis 70, Stephanus Daniel, votis 62. Pro protonotario, ex parte catholicorum: Alexius Henter, votis 31, David Máriaffi, votis 31, Andreas Boér, votis 28; ex parte reformationum sive calvinistarum: Gabriel Alvinczi, votis 120, Josephus Inczédi, votis 100, Joannes Cserei senior, votis 65. Ut instructionem componerent, qua methodo procedat Continua Tabula, hae personae sunt electae, etquidem primo ipse Dnus B. Georgius Pongrácz, ex parte Tabulae Reg. duo protonotarii, Sigismundus Kún et David Henter, duo assessores Tabulae, B. Andreas Szent-Kereszti et Franciscus Czikó; ex parte Comitatum: C. Michael Teleki, B. Volfgangus Bánffi, B. Josephus Huszár, Joannes Béldi, Petrus Köblös; ex parte nationis siculicae B. Josephus Apor, Stephanus Daniel, Joannes Cserei

senior, Stephanus Berzenczei, Joannes Gálffalvi, Michael Halmágyi, Franciscus Hunyadi; ex parte nationis saxonicae Andreas Hán, consul medgyesien-sis et notarius szász-sebesiensis.

Item 28-a Maji a memoria hominum inaudita tempestas fuit in Toroczkó et Toroczkó-Szent-György, tonitrua, crebri fulminum ictus, fulgura, imber inef-fabilis, ita, ut in angusta via, quae ducit Enyedi-num, integra rupes ceciderit, quae fluxum rivi inter-turbavit, viam imperviam effecit, ita, ut nec equiti amplius via sit pervia. Tanta praeterea erat inun-datio rivi, ut integros oneratos currus cum hominibus rapuerit, per partem pontis lapidei enyediensis trans-ire nequiverit, quin ipsum pontem destruxisset, si vehementia aquae aliquid adhuc durasset; dicunt vix a provincia reparabilem viam a rupe.

11-a Junii Dnus Joannes Nagy de Csátár pro-mulgatus est administrator bonorum Apaffio-fiscalium cum titulo consiliarii. 15-a Junii offertur nuptiale subsidium serenissimo duci Lotharingiae Francisco Stephano, et serenissimae conjugii ejusdem Mariae Theresiae, in 50 millibus florenorum hungaricalium constans, etquidem ut septem millia ducatorum Status inter se repartiantur, tria vero millia ducatorum ex restantiis solvantur, verum mox ex communi est so-lutum. 18-a Junii, ut ad indulgentias possim ire ad festum S. Joannis Baptistae in Dobó, ex eo Cibinio ex favore Reg. Commissarii; et posteaquam Tabula Judiciaria inchoasset in quinque causis processum Jud. Tabulae, die 26-a Junii solvitur diaeta.

Qui rebellionis motus ad Gyulam ante annum excitatus metum incusserat etiam Transylvaniae, hoc anno ejus motores primarii morte mulctati sunt Budae,

nempe Petrus Szegedinecz vulgo Pero dictus, alias nationalis militiae in Pécska capitaneus, Joannes Sebestyén, Andreas Pásztor, Stephanus Szilasi, primo quidem a partibus superioribus rota fracti sunt, ca-davera eorum quadrifariam secta, patibulis circa Aradinum et Magno-Váradinum, item Sarkad et Szent-András rotis superposita sunt; aliqui capita amittentes, similiter in quatuor partes divisi, rotis sunt eorum corpora imposita, aliqui solum capite plectebantur; tamen justitiam superante misericordia, plurimi gratia etiam donati sunt a Sua Matte et libere dimissi, aliqui tamen militiam pedestrem hun-garicam sequi coacti sunt.

Die 31-a Julii resolvuntur officiales Viennae: C. Alexander Teleki pro guberniali persona, C. Francisus Lázár de Szárhegy, pro supr. judice Reg. sedium siculicalium Csík, Gyergyó et Kászon, B. Samuel Kemény, pro supr. comite Cottus Dobocensis, David Máriaffi de Maxa, qui hactenus fuit Gubernii secretarius, pro supr. comite Cottus Kolosiensis, Gabriel Alvinczi pro secretario guberniali, Josephus Inczédi pro protonotario, C. Samuel Bethlen et Emericus Caulai pro assessoribus Tabulae Reg., Petrus Dobra pro fiscali direttore. Resolutio vacantiae Cancellarii suspensa est ob plurimas contradictiones et protestationes. Item ex parte DD. saxonum facti sunt consiliarii titulares: DD. Michael Zekelius, consul cibiniensis, Joannes Kinder, senator cibiniensis et D. Klein, resolvuntur titulares simplices consiliarii.

Pro hujus anni hibernio 6 regimina equestria et 6 pedestria intraverunt ad quartiria in Transylvaniam.

Anno hoc et Ceres et Bacchus in luctu compa-

ruerunt, nam nec vernaes, nec autumnales segetes, prout et vinum plane in minima quantitate habuimus, et vinum quidem et illud exiguum, nullius plane erat valoris, copiosae tamen erant tempestates et grandines.

Die 31-a Decembris mortuus est Viennae C. Arivabene, consiliarius Camerae aulicae, supr. administrator rerum cameralium in Transylvania, vita longiori dignissimus; nam praeterquam fuerit conscientiae inculpatae, procurabat ita bonum hujus patriae, ut si natus transylvanus fuisset, studiosius bonum patriae non potuisset procurare.

Anno 1737. In Januario moritur Nicolaus Torma supr. Comes Cottus Szolnok Interioris, homo bonus, catholicus devotus, bonae conscientiae sed scrupulosae, in victu et praecipue in vino delicatus, omnibus acceptus, et dum modice ad hilaritatem bibit, plane graciosus et jocosus. Hic est ille, qui etiam ab augustissimo imperatore Carolo VI torque aureo est donatus.

Die 22-a Januarii tam vehemens ventus erat ab occidente hyemali, cujus parem moderna aetas non sensit, durabat quasi tribus diebus, hinc plurima aedificia conquassavit, etiam domus meae Tövisiensis totum tectum cum camino dejecit. Praeterea tota hyeme lupi plurimi de sylvis descendebant, quos in tanto numero grassatos fuisse, nullus est qui recorderetur.

Die 1-a Februarii plane mirabile coeleste meteorum apparuit horis 6, 7, 8, 9 et circa auroram; apparebat enim coelum ad ortum fere aequinoctialem tam rubrum et tam igneum, quale tempore magni in-

cendii apparere solet, quin imo apparebat ac si flammæ evomeret et scintillas, quod solus aspexi. Apparuit exiguus cometa ad occidentem quasi sub Venere, quem ego primo 17-a Februarii observavi.

7-a et 8-a Aprilis genuum tenuis cecidit nix, durabatque ad 12-am ejusdem; iterum 13-a Aprilis nives usque ad crura hominis ceciderunt, et durarunt tota die; 14-a rursum. 24-a et 25-a Aprilis nives erant crurum tenuis, quin imo totus Aprilis et Majus usque ad 14-am diem ita erant pluviosi, ut primo de potiori 15-a Maji poterant inchoare seminaturam vernalem.

Pro hoc anno erga solutionem cameraticam præter ordinarium quantum impositi sunt Transylvaniæ currus foeni viginti octo millia sexcenti et quatuor id est currus 28604, qui sic sunt repartiti: ad Bereczk currus foeni duo millia octingenti viginti quatuor id est 2824, ad Bodza quatuor millia trecenti quadraginta sex id est 3046, ad Rubram Turrim ter mille id est 3000, ad Bistricium quater mille trecenti septuaginta sex id est 4376, ad Deés quater mille trecenti septuaginta sex id est 4376, ad Maros-Vásárhely sex mille quingenti octuaginta octo id est 6588. Hoc foenum portarunt in vere, in via lutosissima, nihil tamen hactenus solutum.

Die 12-a Maji C. Ladislaus Gyulaffi et B. Josephus Apor installaverunt C. Franciscum Lázár in supr. judicem Reg. sedium Csík, Gyergyó et Kászón in mea domo in Csík--Somlyó; et ego eram præsens.

Nota bene posteritas: hoc anno nullæ arbores, quin imo nec ipsæ salices ad 1-um Maji vel minimas emisérunt frondes.

Militia caesarea hoc anno sic se disposuit ad

castra : in Csík regimen Kohárianum equitum et 4 compagniae pedestres Venceslai Vallis; ad Bereczk 5 compagniae pedestres ex regimine Fürstenbussiano; ad Tüzed penes Hatolyka 6 compagniae equestres ex regimine Posztaczkiano; ad Bozza 5 compagniae ex regimine Hottoviano, et integrum regimen Pestvár-megyeanum equestre; ad Törösvár integrum regimen Gilányianum equitum et 5 compagniae pedestres ex regimine Müfflingiano. Hos omnes commendat Generalis Campi Mareschalli Locumtenens Marchio Guadányi. Item ad Bistricium positae sunt 3 compagniae equestres ex regimine Posztaczkiano, quos commendat ejusdem regiminis colonellus C. Oliveri. Militia vero haec circa 12-am Julii penetravit in Valachiam et Moldaviam.

Indicatur Congregatio regni pro 2-a Septembris, in qua de Continua Tabula, de conscriptione patriae, de exactoratu, de quanto militari actum, et quia praeter quantum ordinarium 500000 florenorum, et suspensos anno elapso 57000 florenos, nomine subsidii petiti sunt floreni Rh. 200000, et ut hi a Sua Matte deprecentur per stafetam, concluderunt regnicolae. Item C. Samuel Bethlen fit Tabulae Reg. assessor, Josephus vero Inczédi deponit juramentum pro protonotariatu. Die vero 20-a Septembris C. Alexander Teleki installatur in consiliarium Gubernii. Die 18-a Septembris nostri milites infortunium passi sunt a turcis et moldavis in Moldavia ad pagum Komaneșt, desideratis circiter 60 militibus, et honestissimo praeclaroque viro Comite Orseti, vice-colonello regiminis Comitum a Posztaczki.

Die 28-a Octobris moritur C. Franciscus Paulus a Vallis, Transylvaniae Generalis Commendans, vir

transylvanis utcumque gratus. Succedit interimaliter Generalis Commendans Serenissimus princeps Christianus Lobkovicz, bohaemus.

Pestis incepit in districtu Coronensi pagis Zernyest et Tohány, quae pululavit ad aliquot pagos, prout et in Terram Fogaras; suspicio etiam orta in Málnás et Papolecz.

Nostri infortunium acceperunt in Valachia Krajovae, desideratis circiter 400 peditibus et 300 equitibus, et etiam Ribnikio deserto, receperunt se in Valachia in pagum Perisan.

Item lucus pecorum tanta fuit fere per Transylvaniam totam, cui ut similis aliquando fuisset, memoriam hominum excedit, vix etiam alicubi aliqua exigua cornuta pecora remanserunt.

Erucae omnes caules depastae sunt; 100 capita caulium 4 florenis emebamus.

Die 16-a Decembris ingens et a me nunquam observatum meteorum coeleste; prius ab occidente aestivo, exposit a septemtrione totus aër erat tam ruber, ac si accensus fuisset, et a septemtrione vergebat occidentem versus. Erat vero horis vespertinis 7, 8, 9 et 10-a.

Die 14-a Decembris vesperi sub horam 9-am vespertinam in sede Miklósvár pagoque Nagy-Ajta auditus est ingens prodigiosus ejulatus per Vae, vae (jaj, jaj) per omnes ejus pagi plateas, diligenterque examinatum, an ab aliquo homine provenisset, sed quod prodigium non ab homine profectum, inventum est.

Annus hic utcumque infaustus christianis erat; saepe multi timoris causa ob metum incursionis turcarum et tartarorum. Alias autumnalia in quibusdam

locis large provenerunt, mediocriter in quibusdam, vernalia fere ubique parce, vinum in tertialitate, sed bonum; annus utcumque mitis, siccus, calidus, et absque grandine et gravibus tempestatibus.

Anno 1738. 7-a Februarii ab accenso camino (ut refertur) arx Csík-Szereda conflagravit.

Quae diaeta indicta fuit anno superiori pro 2-a Septembris Cibinium, eadem in Octobri interrupta fuit, rursum 6-a Novembris resumpta, et iterum circa finem Decembris intermissa, resuscitata rursum 1-a Februarii et terminata ad 31-am Martii. Huic diaetae paris adhuc nulla memoria meminit, cujus quia et prologus, morte Generalis Comitum Francisci Pauli Vallis, fuit tristis, sed epilogus plane tristissimus: arestati sunt plurimi magnates, praenobiles, ecclesiastici, nobiles, omnes Helveticae confessionis, quorum syllabum, ut habere potui, sic habe: ipse Superintendens Helveticae confessionis, duo professores et duo academici, C. Samuel Bethlen, C. Samuel Teleki, B. Joannes Lázár de Gyalakuta, B. Ladislaus Kemény, Gregorius et Joannes Barcsai, Sigismundus Toroczkai, Franciscus et Ladislaus Rhédei, N. Szent-Páli, Daniel Vas de Gerend, Michael Tholdalagi, N. Bogáti, Michael Jenei.

26-a Martii hic Torjae erat terrae motus.

Die 11-a Maji nix et ingens noctis frigus vineas nec non flores fructuum et glandium quassavit, item 19-a Maji fuit quasi inaudita tempestas, grando aliquorum pagorum segetes autumnales vastavit, praecipue hic Torjae; ego majorem damni partem in segetibus passus sum.

Die 11-a Junii intra 11 et 12 matutinam ingens

terrae motus fuit, similis nunquam recordor, ita, ut nec in cubiculis subsistere audebamus, fugiebamus unus post alterum ex cubiculis, ingenti enim cum mugitu veniebat, homines in patulo cadebant, muri et fornices findebantur, campanae sonum dederunt, plurima aedificia, templa, castella ruinavit.

Die 19-a Junii in aëre venerunt vermes flavi et nigri in albis crustis, in similitudine erucarum, sed delicatissimarum albarum crustarum, habuerunt duo cornua longe extensa et quatuor cristas, sub cornibus quasi corona erat, superficies aquarum et terrae cooperuerant, erant foetidi valde, ita, ut et ipsi boves prae foetore incedere non poterant, caudas habebant in duplicem ramum extensas in longum, verum quo vesperi venerunt, eadem nocte evanuerunt, solas cristas albas permittentes. Ipse etiam oculis meis vidi; hi autem vermes erant circa Oroszfalu, Sárfalva, Szászfalu et Nyujtód.

Die 30-a Junii iterum fuit exiguus terrae motus.

Lues pecorum et hoc anno in summo grassatur.

Qui terrae motus contigit 11-a Junii, ex concussione terrae ex duabus partibus fluvii Bozza circa finem territorii nostri duae petrae ruptae sunt, et dicti fluvii alveum impleverunt, ne aqua cursum suum persequi valeret, hinc in tantum excrevit aqua, ut altissimarum etiam pinuum cacumina vix videri possent.

In eodem terrae motu Jassiis in Moldavia undecim monasteria, una turris, quae actu a 15 murariis aedificabatur, corruerunt, et omnes 15 murarios turris cadens oppressit.

Militia caesarea per totam fere aestatem aestivavit in Cottu Hunyadiensi, cum principe Lobkovicz;

hinc summa vastitas illi Comitatus et vicinis est. De longinquo etiam debebant ad eam summa molestia portare triticum, avenam et toenum.

Periculosissima pestis Cibinii, Carolinae, Claudiopoli, Dévae, et hinc inde in pagis diversis, ita, ut in quibusdam pagis vix aliqui homines remanserint, et forte in quibusdam nullus.

Annus etiam iste utcunque infelix fuit christianis; amisimus enim Orsovam, Mehádiam, Új-Pálánkam et aliqua minoris considerationis loca. Praeterea vinum in tam exigua quantitate provenit, ut mea vita tam exiguum vini proventum non sciam. Jam tempore nativitatis Christi vinum novum 40 urnarum vendebatur etiam 50 florenis hung., antiquum vero 96 flor.; in educillis mensura vini novi vendebatur 7—8 polturis. Triticum non in magna copia habuimus, sed nec ex gelima ultra metretam acquisivimus, in vernalibus abundabamus, sed et in foeno deficiebamus.

Anno 1739. Quos dominos arestatos anno superiori notavimus, innocentes inventi, una cum Superintendente calviniano in Januario libertati restituti sunt; publicata etiam per totam patriam ex mandato caesareo ipsorum innocentia; Josephus vero Thordai de Csapó in aresto detentus est, eo, quod anonymo scripto innocenter detulisset Joannem Thuróczi de Csapó, propter quod et is arestatus erat, sed innocens inventus, dimissus, agere porro jure poterit contra Thordaium.

Die 14-a Februarii turris major cibiniensis fulmine tacta fuit.

Die 25-a Martii moritur dilectissimus nepos Wolfgangus Apor de Al-Torja, cujus avus Andreas,

et parens meus Joannes, erant fratres carnales, et vel ideo mihi cum moerore memorandus, quod semper vixerimus in amore, quod nunquam inter nos triduae dissidia fuerint. Fuit coelebs tota vita.

Die 29-a Martii vesperi hora 8-a apparuit meteorum quoddam coeleste; ad dextram enim occasus aestivi totum coelum rubescebat.

In Martio hinc et inde magnae tempestates, tonitrua et fulminum ictus.

Diebus 9, 10, 11, 12-a Aprilis nives usque ad crura, 13-a vero fuit valde congelata terra.

Resolutus est pro consiliario Gubernii Michael Zekelius consul cibiniensis; C. Stephanus Mikes de Zabola factus est supr. Comes Cottus Szolnok Interioris; pro actuali Tabulae Reg. assessore definitus est Emericus Csulai; secretarius gubernialis ex parte catholicorum electus est Alexius Henter de Sepsiszentivány; pro registratore Gubernii assumptus est C. Franciscus Bethlen.

18-a Junii in montibus ceciderunt nives; item 16-a ejusdem erat magna pruina; occasione vero harum nivium et pruinae non solum pulli, verum et grandiores hirundines, prout et apes a potiori sunt mortuae.

Turcae expilant et comburunt Oknam in Valachia ditionis nostrae; vicem reddunt nostri Springe-riani levioris armaturae, comburentes et expilantes Kimpulung et vicinos pagos ditionis turcicae aequae in Valachia, in Julio per passum Törösváriensem intrantes.

Feliciter nostri se gesserunt in propugnatione vallis Perisaniensis in confinibus Valachiae, quod dum sub commendo duorum bassarum tria millia tur-

carum oppugnassent, a nostris viriliter repressi sunt; per stratagema circumientes, potiore partem turcae deleverunt, quinque tormenta, complura vexilla et aliquot tympana acquisiverunt, magnamque in turcis stragem addiderunt, praeterea castra cum omnibus curribus nostri acquisiverunt.

Copiae auxiliares Regii Electoris Saxoniae, reduces ex Valachia, pulchro et splendido ordine, primo quidem equitatus cataphractus, exposit duobus tribusque diebus elapsis pedites transiverunt per urbem cibiniensem, ad 5200 universim.

Pax etsi non gloriosa, certo necessaria conclusa est inter christianos et turcas ad 24 annos, et quod maxime dolendum, tanto sanguine saepius amissum et recuperatum fortalitium Belgradense funditus cum omnibus aedificiis ex compactatione pacis deletum est, turcicoque jugo permissum, una cum Servia et Valachia Austriaca.

Balásfalvae aedificatur residentia episcopi Fogarasiensis, item monasterium graeci ritus, nec non gymnasium pro juventute valachica, ad quae Caesar contulit 25000 flor. Rhen., totidemque debent contribuere popae valachici per Transylvaniam.

Recte sub ipsa anticipatione circa festum S. Michaelis, dum Gubernium, supremi officiales ac deputati congregati fuerant, incepit pestis Cibinii; hinc tumultuarie qua qui poterant, omnes Cibinio exhibant.

Die 7-a Octob. sepelivimus Albae-Carolinae ad S. Michaellem cum solenni pompa Baronem Gregorium Sorger episcopum Transylvaniae, die 16-a Septemb. mortuum.

Die 13-a Octob. intra 10 et 11-am noctis horam summum tonitru et fulgur.

Die 30-a Octobris 4250 muscovitae, kalmuki, tartari et cosaci, inter quos 250 erant regulati muscovitae, etquidem cosaci flintis, pistolis erant provisi, tartari vero pharetris et sagittis, qui praedatum venerant in Valachiam Transalpinam, sed quorum redditum (ut fama fert) intercluserat turca, multa praeda onusti, praecipue equis, equabus et cornutis pecoribus, exeunt per passum Bozza versus Zágón, et primam noctem egerunt in prato papolcziensi, secundam noctem egerunt extra passum Ojtoz, in loco Magyarostető vocato, et inde in Moldaviam intrarunt. Commendarunt hos unus brigaderus generalis moscovita vel potius cosacus, quatuor colonelli de propria natione. Volebant quidem hi transire ob metum turcae per Máramaros, sed a Serenissimo principe Commendante Generali principe Christiano a Lobkovicz non sunt permisi. Hi parata pecunia debebant vivere, panis quidem et avena ex magazino dabatur, sed parum acceptarunt, tartari enim recentibus carnibus equinis vescebantur.

Scriptores hungarici et moscovitici sufficientem pro hoc anno scribendi habebunt materiam, ego, qui solum res transylvanicas prosequor, manebo in Transylvania. Cum 20 itaque regiminibus dum aliquo tempore princeps Christianus Lobkovicz mansisset in Cottu Hunyadiensi, intravit in Valachiam Austriacam, ibi nihil memoratu dignum operando, per passum Rubrae Turris in Transylvaniam egreditur ad finem Septembris, et omnia 20 regimina in Octobri, non sine aggravio patriae, commorantur in hac patria, prout et 13 regimina pro quartirio disposita sunt in Transylvaniam. Praeterea annus hic valde novercatur, plurima tonitrua, fulminum ictus, grandines

non exigua damna causabant; ob continuas pluvias et rubiginem, si aliqua loca excipias, paucissima tam autumnalia, quam vernalia provenerunt, et ubi etiam in stramine aliquod triticum fuit, vix ex gelima, quin imo in quibusdam locis ex tribus quatuor gelimis vix metreta provenit; continuæ pluviae maturitatem uvarum impederunt, et maxime pruina in Octobri uvas congelavit, hinc vinum in perfecta qualitate non habuimus, imo quibusdam in locis vix aliquid provenit. Pestis hoc anno etiam, præcipue circa Claudiopolim, grassatur.

Intra 5-am et 6-am Decembris circa horam undecimam noctis fuit tempestas cum fulgure et tonitru.

Anno 1740. Circa dies 12-mi Januarii a rigore frigoris intensissimi et a saevitie insolita venti Boreae (vulgo Nemere szele dicti) nivibus mixti, aliquot personae interfectae sunt in campis Hâromszékiensibus. Denique erat hyems diutina, frigidissima, ventosissima; hinc idem Boreas nivibus mixtus intra diem 23 et 24 Febr. interfecit Andream Szeredai de Szent-Rontás, generum Michaelis Mihálcz, ad Mártonfalva Sedis Kezdi. Denique etiam post festum Annunciationis Beatae Mariae Virginis frigus saeviebat, et nives vix solvebantur, nisi circa 2-am Aprilis. Ex Moldavia vero ex certa relatione refertur, quod Pontus Euxinus ad bonam partem congelatus sit, quod inauditum est; nives extraordinariae, pecora et oves cum pastoribus grande frigus et saevus ventus in campis interfecerunt.

5-a Aprilis, intra horam 8 et 9 vespertinam tolerabilis terrae motus.

10-a Aprilis crurum tenuis cecidit nix et duravit usque ad 12-am ejusdem.

6-a Maji nix unius spitanae cecidit, quae eadem die quidem soluta est, sed ad hanc diem nec salices frondes emiserunt, primo circa 12-um Maji incep-
erunt emittere; denique etiam Majus frigidus usque ad 15-um exclusive.

Pro 28-a Martii indicitur congregatio Regni, quo ob aetatis senium, valetudinem sinistram, ingens lutum et extraordinarias exundationes ire non poteram. 29-a legitur catalogus, die 31-a Martii Commissarius Reg. serenissimus princeps Christianus a Lobkovicz proposita regia proponit. 5-a Aprilis a dicto principe quantum annum resolutum aperitum est in 537806 flor. et 30 xr. 5-a Aprilis publicatur consiliarius Comitum Adami Teleki. 6-a Aprilis publicatur forum hebdomadale diplomaticum pro Balásfalva ad diem Jovis. 11-a Aprilis ad metas determinandas inter nostrum et turcicum territorium et ex parte patriae determinantur commissarii; ex parte Comitatum C. Antonius Kornis, supr. comes Cottus Hunyadiensis, ex parte siculorum Alexius Székely de Kilény, ex parte saxonum Stephanus Zevald. 25-a Patres Societatis Jesu urgent incorporationem et articulorum quondam contra ipsos latorum abolitionem, sed acatholici excipiunt in paribus. Denique ultimam conveniunt nationes, ut Comitatus contribuant a 37 calculis, siculi a 17, saxones a 37, loca taxalia a 7 et medio; medius calculus aequaliter repartitur, et durabit haec conventio per triennium.

1-a et 2-a Julii ingens nubifragium in montibus tantam causavit exundationem, qualis nec senissimi homines recordantur; hinc aquae plurimas molas,

pontes destruxerunt, prata et quorundam pagorum jugera inundaverunt, ut verbo quasi incredibile est, quam procul se ab alveis extenderint, unde et aliquot homines extra alveos submersi sunt. Pluebat quasi sine intermissione a die 23-a Maji usque ad diem 10-am Julii inclusive.

Posteaquam ex domo Sérenissima Habsburgica anno Domini 1272 Rudolphus I in imperatorem fuisset evectus, devicissitque gloriose Ottocarum regem Bohemiae in praelio interfectum, Austriamque hac gloriosa victoria sibi appropriasset: ex post ab eodem augustissimo imperatore descendentes, dicti de domo Austriaca, et a Ferdinando I ab anno 1527 ad praesentem usque annum 1740, annis scilicet 213 apostolica mariana corona coronatis sacris verticibus Hungariam gloriosissime felicissimeque gubernassent, usque ad modernum augustissimum Carolum VI, qui etiam augustissimus imperator, dubius haeredis masculini, clementissima sua auctoritate effecit, ut ex eadem augustissima domo Austriaca foemineus sexus etiam sponte et libere a Statibus in successionem haereditariam dictorum regnorum acceptaretur; sed proh dolor, complorante universa ecclesia, attonito prae maerore orbe christiano, fatali et luctuosissimo, coronae apostolico-hungaricae ineffabili luctu, postquam eadem augustissima domus Austriaca meritis in Deum, in universam christianitatem, et vel maxime in Hungariam et eidem adjunctas provincias implevisset, in fato augustissimo imperatore Carolo VI die 20-a Octobris defuncto in virili defecit semine, cujus ut foemineus sexus virtutes virilis sexus sequi, et ad huc superare valeat, sincerè opto.

Annus hic ingratisimam sui memoriam reliquit.

Nam erat charistia summa, ita, ut incolae ob intolerabilem famem ad exoticas partes se recipere haberint necesse, triticum in magna parte Transylvaniae vel nullum vel exiguum, triticum saracenicum et panicum tempestiva pruina decoxit, avena utcumque provenit, sed immatura, vinum, ob tempestivum frigus et nives, nullum, grandines hinc inde in vineis et segetibus non exigua damna causarunt. Inaudita inundatio aquarum multis in locis segetes et foenilia sepelivit, quae contigit 2-a et 3-a Julii; ubi a memoria hominum aquae visae non sunt, insolita inundatio pluviarum et illa loca inutilia reddidit. 5-a Septembris Torjae fulmen unum meum acervum tritici percussit; disjiciendo ab igne salvare potui. Similiter in festo S. Michaelis in Comitatu Hunyadiensi horreum Dni Alexii Orbán in pago Benczencz simul et semel in quatuor partibus quatuor, et quintum fulmen unum acervum percusserunt, erant tamen fulmina sicca. Caules exiguas habuimus, pisa in multis locis ab eruca consumpta sunt, milium per totam patriam fere nullum. A 10-a Julii usque ad festum S. Michaelis continua siccitas, unde seminatura autumnalis de potiori a festo S. Michaelis est inchoata, ab eo vero tempore copiosae pluviae et nives. Triticum 7, de ordinario tamen 8, siligo 5—6, panicum hordeum, triticum saracenicum tribus et medio quarto, avena uno et medio floreno vendebatur, vinum unius anni jam tempore vindemiarum 60 ung. florenis veniebat. Messem tritici hic Torjae primo 26-a Augusti incipere potui.

Anno 1741. Indicitur Diaeta pro 20-a Februarii Cibinium. 22-a legitur catalogus. 23-a Sacri Rom. Imp.

Princeps Christianus a Lobkovicz, tamquam commissarius Reg. proponit postulata reginae Mariae Theresiae, nempe: ut Sacrae reginae ab omnibus consuetum homagium deponatur, item ut articuli in legibus patriae Societati Jesu praejudiciosi, necnon articuli quicunque contra angustam domum Austriacam viderentur, deleantur, nec non ut delegati mittantur Viennam ad obedientiam deponendam; item ut absente Praesidente actuali, pro his comitiis novus Praesidens eligatur, coram quo negotia regni tractentur. 27-a Februarii non consenserunt Status ut novus praesidens eligatur, sed secundum Resolutionem Leopoldinam, ut in absentia actualis Praesidentis senissimus consiliarius praesideat, coram quo negotia regni tractentur. 28-a Februarii resolutum est, ne exposit regalistae fiant deputati Comitatum et Sedium. Die 2-a Martii consuetum homagium fidelitatis ab omnibus Statibus depositum est, cum hac cerimonia: in domo regnicolarum ad occasum super scabellum erat mensa una cum scabello, peristromatibus ornata, super mensam sub canapaeo stabat imago serenissimae reginae Mariae Theresiae, penes sedes praeparata pro Commissario Regio. His positis, ab omnibus Ordinibus invitatus est Commissarius Reg. serenissimus princeps Christianus Lobkovicz, qui etiam subito ascendit in veste aurea vellera gestare solita, in collo pendebat vellus aureum; qui ascendens, ad dictam sedem se posuit, et in sua praesentia dum deponebatur homagium praesens aedit; quousque vero homagii depositio durabat, duae aquilae super tectum domus regnicolarum ludebant.

A die 12-a Martii inclusive usque ad diem

26-um ejusdem aequae vehemens ventus africanus nivibus mixtus cum magno gelu.

Die 13-a Martii natus est serenissimus archidux Austriae, Josephus, Benedictus, Fridericus, Augustus, et quod curiosum est, eadem hora, qua anno superiori 20-a Octobris augustissimus avus Carolus VI imperator decessit, hora nempe 2-da matutina.

Quantum, tam ordinarium, quam extraordinarium, hujus anni consistit in florenis Rhen. 587806 30 xr.

Die 6-a Maji quadrante secundo ad primam Excellmus ac Illrimus Comes Stephanus Kornis de Göncz-Ruszká moritur, S. C. R. A. Mattis camerarius, Status et Exc. R. Transylvaniae Gubernii consiliarius intimus, Generalis Commissarius Provincialis, primo Cottus de Küköllő, secundo Cottus Albensis Transylvaniae emeritus Comes supr. profecto magno sui desiderio relicto, non sine moerore etiam meo, mihi namque semper fuit addictissimus.

Pro neonato Serenissimo archiduce Status determinarunt donum quindecim millia Rhenensia id est fl. Rhen. 15000. Salaristas eos declaravit esse Gubernium, qui gaudent regio salario.

Occasione mortis Excellmi C. Stephani Kornis, anno superiori electus quidem filius Antonius Kornis ad reambulandas metas occasione pacis cum turca, se excusavit, et in locum ejus electus est B. Andreas Szent-Kereszti de Zágon. In locum etiam Dni Schüller saxones debebant alium determinare. Secundum superius dictum decretum ablegati Viennam electi sunt Excellmus Gubernator C. Joannes Haller votis 29, a parte catholicorum; ex parte Comitatum et calvinistarum: C. Michael Teleki votis 50; ex parte

siculatorum : catholicus C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth, votis 63, B. Joannes Lázár de Gyalakuta, calvinista, votis 67; ex natione saxonica, lutherani: Petrus Binder, senator cibiniensis, votis 55, Michael Schüller, consul medgyesiensis, votis 81; ex unitariis sive arianis : Joannes Simon, votis 31. Si vero Excellmus Gubernator licentiam non haberet Vienne eundi, loco ipsius qui plura post ipsum vota habuit, supplebit; habuit vero praeses Tabulae B. Georgius Pongrácz. Si vero Excellmus Gubernator ascendet Viennam, habebit pro honorario 1000 ducatos, omnes vero diurnum habebunt 16 Rhen. florenos, praeter arianum, qui habebit 8. Expunctio articulo- rum augustae domui Austriacae praejudiciosorum nec- non Societati Jesu ex Approbatis, Compilatis legibus, et modo indecisa mansit, causantes absentiam actualis praesidentis. Denique comitia haec erant valde turbulenta, in quibus variae disputationes, factiones et discordiae dominabantur, et primo soluta sunt die 18-a Maji.

Alexius Csató, filius quondam Joannis Csató de Delne, vice-judicis Regii sedis superioris Csík, Ordinis S. Francisci strictioris observantiae, bis hujus provinciae sancti regis Stephani Provincialis, nondum terminato secundo provinciatus moritur; vir eximiae doctrinae, sapientiae et prudentiae, omnibus patriae filiis charus ob svavem et affabilem sui accommodationem, ita, ut ab inclyto Statu catholico Transylvaniae meruerit eligi in episcopum Transylvaniae. Vix spero, quod viro huic incomparabili per saeculum similem sint habituri Patres Franciscani in Transylvania.

Die 7-a Augusti Springeriani milites trajiciendo Petrum László ex Zágou occiderunt.

Reginalis Majestas resolvit in camerarios suos Comites Antonium Kornis, Stephanum Mikes, Franciscum Gyulai, Josephum Bethlen, Gabrielem Bethlen, Ladislaum Teleki, item Barones Paulum Haller, Ladislaum Kemény; in decretalem camerarium Comitem Dionysium Bánffi.

C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth resolutus in Cancellarium aulicum.

Ex electis in superioribus comitiis ad salutandam et homagiale obsequium deponendum reginae juxta resolutionem fatae Suae Mattis pergunt ad eandem, ex parte Comitatum: B. Georgius Pongrácz, Tabulae Reg. praeses, catholicus, Michael Teleki, calvinista; a parte siculorum: C. Ladislaus Gyulaffi, neoresolutus Cancellarius et Sedis Udvarhely supr. judex Reg. catholicus, B. Joannes Lázár, calvinista; a parte saxonum: Petrus Binder, senator cibiniensis, Michael Schüller, consul medgyesiensis, qui in Octobri se moverunt. Arianus sive unitarius admissus non est.

Resolutus est in episcopum Transylvaniae B. Franciscus Klobusiczki.

Pro 15-a Novembris supremi officiales et deputati congregati sunt Cibinium ad decretum reginae, in quo mandat, ut 5 millia equitum bene armatorum assistantur ad servitia ejusdem. Verum dicti supremi officiales et deputati, ut de praeliminariis quidem fiat discursus, concluderunt, meritum vero hujus rei rejecerunt ad communem congregationem regnicolarum, pro qua impetranda die 24-a Novembris per celerem staffetam humillimam transmiserunt Regiae Matti in-

stantiam, Cibinii praestolantes resolutionem; cum vero usque ad diem 15-am Decembris nulla resolutio venerit, pro interim dissoluti sunt.

Per quosdam zingaros pestis in sedem Háromszék e Moldavia allata, pululare cepit in Dálnok, Albis et Osdola.

Annus etiam hic, a festo S. Michaelis usque ad novum annum fere totus siccus, miserabilem sui memoriam reliquit, nam praeterquam quod nec senissimi homines recordantur, etiam nulla historia meminit, quod sic absolute nullum vinum in Transylvania provenisset — nam paucillum illud, quod, aceto deterius, provenit, pro nihilo reputandum est — sed nec Ceres per totum florida comparuit si paucula loca excipias, nam triticum saracenicum circa finem Septembris ex magna parte pruina decoxit. In praedicta siccitate infiniti quasi mures maxima damna fecerunt tam in pagis quam in campis.

C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth, ascendit Vienne, ad munus Cancellarii aulici transylvanici obeundum.

Theobaldus Sacri Rom. Imp. Comes a Csernin, bohaemus, interimalis Generalis Commendans.

Anno 1742. Die 22-a Januarii in festo S. Vincentii tam potens erat sol in calore, ut hic Torjæ coaxationem ranarum audiverimus.

Quam staffetam die 24-a Novembris scripsimus superius discessisse ad reginam ratione 5000 militum, eadem a regina cum resolutione redivit 29-a Januarii; hinc pro die 27-a Februarii generalis confluxus est indictus Cibinium. 1-a ergo Martii lectus est catalogus, quo perlecto, invitatus Reg. Commis-

sarius Theobaldus Comes a Csernin comparuit inter regnicolas, et nomine reginae resolutionem publicavit, quod nempe nonnisi 1000 equites sumptibus Principatus desideret regina: duo vero millia peditum sine sumptu Principatus pro supplemento aliorum regiminum velit habere. Huic propositioni simile decretum reginae est publicatum inter Status, verum Status non consenserunt ut duo millia peditum pro supplemento regiminum dentur, sed maluerunt offerre integrum pedestre regimen.

Eodem die 1-a Martii publicatus est tam per decretum, quam diploma episcopatus Transylvaniae Excellmi ac Rndissimi Dni Francisci Nepomuceni Klobusiezky, et penes dictum diploma etiam instalatus est in consiliarium Gubernii.

13-a Martii fit votisatio pro consiliario et supr. Provinciali commissario, 14-a vero ejusdem publicatur candidatio, sic: ex parte catholicorum pro consiliario: B. Petrus Apor, votis 70, B. Joannes Torozkai, votis 63, B. Franciscus Haller, votis 30; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Adamus Bethlen, votis 62, B. Stephanus Daniel, votis 38, Gabriel Alvinczi, votis 32. Pro Commissario provinciali, ex parte catholicorum: C. Antonius Kornis, votis 68, C. Stephanus Mikes, votis 64, B. Ignatius Bornemisza, votis 37; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Emericens Bethlen, votis 53, B. Wolfgangus Bánffi, votis 47, C. Michael Teleki, votis 39.

De praefatis vero 3000 militibus inclyti Status talem fecerunt subrepartitionem, ut nempe repartiantur juxta calculos contributionales, sic ergo inclytis comitatibus a calculis 37 obveniunt milites in uni-

versum personae 1056, ex quibus equites 352, pedites 704; inclytae nationi siculicae a calculis 17, personae in universum 486, ex quibus equites 162, pedites 324; Comitatibus readplicatis a calculis 7, personae in universum 201, ex quibus equites 67, pedites 134; almae nationi saxonicae a calculis 37, personae universim 1056, ex quibus equites 352, pedites 704; locis taxalibus a calculis 7, in universum personae 201, ex quibus equites 67, pedites 134. Summa summarum 3000, ex quibus equites 1000, pedites 2000.

In Martio cometa apparuit, qui non diu duravit.

Hyems utcunque sine nivibus transiit, in Martio subinde abundans nix; 1-a vero Aprilis et 2-da ad mediam quasi diem nungebat, et copiosa nix decidit, a prandiis pura aura, 3-a demum Aprilis intensum frigus mane. Die 9-a Martii fluvius Aluta ita defecerat, ut in alveo per aquam quivis pedes unum passum faciendo facile transiverit; in quo loco inceperit aqua deficere, nullus relationem certam adfert; certum quidem est, superius molas in Gidófalva, et inferius in Kilyén suum cursum tenuisse, in Sepsi-Szent-György vero et in Bedőháza intermediis molis aquam fere totam defecisse, ita, ut hae molae cursum suum tenere non valuerint.

6-ta Aprilis quadrante ad tertiam erat sensibilis terrae motus. 13-a Aprilis nix duorum digitorum et magnum frigus. 16-a Aprilis crurum tenuis cecidit nix, et eodem die per trahas ivi ad templum, sed ipaissima die iterum liquefacta est.

Nota posteritas: Joannes Kászoni, modo dictus Joannes Bornemisza L. B. de Kászon, nam cognomen ipsius prius solum erat Kászoni, sed per clementiam

angustissimi Caroli VI addidit Bornemisza, cuius progenitores ex Nagy-Káson oriundi, ibique cognomine Csutak vocati, nobiles unius sessionis, per matrimonium acquisiverant aliquam possessionariam portionem in Cottu Albensi, pago Váradgya, penes Albam Carolinam, ibique in portu salinario minora gerebant officia. Modo vero dictus Joannes Bornemisza, tum Kászoni, anno 1687 Claudiopolim ad studia venit, cui ego puer convixi tribus annis, nam eodem anno inchoavit sua studia a poësi, altero anno continuavit rhetoricam, tertio demum anno didascalus minimistarum, seu docuit parvam scholam. Expost penes Lib. Baronem Michaellem Száva scribae officio functus, ab eodem, tanquam salisfodinarum inspectore, constitutus fuit magulator salisfodinarum Kolosiensium, per Comitem vero Stephanum Apor, tanquam thesaurarium, earundem salisfodinarum supremus inspector nominatus est; quo officio aliquot annis dextere functus, dum Franciscus Balog de Radnót cessisset sponte officio perceptoratus thesaurarius, per dictum Stephanum Apor in ejusdem officium successit. Quo officio per totum tempus Rákócziani motus functus, cum Benedictus Henter de Sepsi-Szent-Ivány, supr. iudex Reg. sedium siculicorum Csík utriusque Gyergyó et Káson, partes Rákóczianas sequeretur et in Moldavia delitesceret, per recommendationes varias, anno 1708 earum incl. sedium supr. iudex Reg. electus et confirmatus fuit. Mortuo vero augustissimo imperatore Josepho, dum piissimae memoriae imperator Carolus VI felix regimen auspicaretur, cum C. Ladislao de Bethlen, Reg. deputationis membro ex parte comitatum, et Joanne Hozman, aequae deputationis membro et consule

cibiniensi, hic ex parte nationis siculicae, ad salutandum ethomagiale obsequium deponendum ex parte Principatus Viennam missus, ibi magnos sibi patronos conciliavit. Redux in patriam, non more consueto per Status (nam per vota Statuum vix acquisisset), sed solum ex candidature Status catholici in pro-cancellarium Viennam eligitur, et tam benignum expertus est praefatum augustissimum imperatorem Carolum VI, ut ad illam solum candidaturem in officio cancellariatus confirmaret. Jam per aliquot annos installatus cancellarius, dum anno 1721 C. Michael Mikes, consiliarius Gubernii, e vivis excessisset, se in consiliarium Gubernii confirmari fecit absque electione Statuum; occasione vero Pragmaticae Sanctionis, dum anno 1722 Status Transylvaniae serenissimam tunc archiducissam Mariam Theresiam in haereditariam principem receperunt, in Transylvaniam reversus, persuasit augustissimo Carolo VI, ipsum fuisse ex primariis, qui Status induxisset ad eandem Sanctionem sanctiendam, unde praefatus augustissimus Imperator honoravit illum titulo consilarii Status, adeoque Excellentissimi, cum addito 22000 florenorum Rhen. grationali. Superaddidit quidem aliquid, verum etiam in hac summa possidet dominium Görgényiense, prout et multas possessiones pecunia coemit, ad quas consensuales regias impetravit. Sed et matrimonia ipsius fuerunt fausta; nam prius duxerat Claram Bodoni, Spectabilis Blasii Bodonis filiam, a qua suscepit duos filios modo superstites, Ignatium primum, cui procuravit officium supr. Comitum Cottus Thordensis, secundum Joannem, quem militem esse voluit, et eousque egit, ut in regimine Havoriano factus fuerit supremus tribunus

Mortua vero Clara Bodoni Viennae, secundam uxorem accepit Barbaram Haller, Comitis Stephani Csáki, supr. Comitis Cottus Kolosiensis viduam, filiam vero magni illius Baronis Stephani Haller, praesidentis regni et Comitis supr. Cottus Thordensis, a qua suscepit Paulum Bornemisza, modo rhetoricae studiosum. Per mortem vero Baronis Stephani Vesselényi, praesidentis Statuum, a Statibus regni inter tres candidatos fuit etiam unus ex candidatis pro praeside Statuum, et ex tribus ipse fuit confirmatus ab augustissimo Carolo VI. Varias quidem erant regnicolarum contra hunc Dnum Cancellarium quaerelae, quod quosdam, antiquae prosapiae aequae dignis, si non dignioribus personis praeposuerit, similiter indigniores et incapaciores prae capacioribus et dignioribus, multos absque ulla candidature Statuum, et eorum, quorum intererat, ad officia confirmari curaverit, quod utique ideo fecit, quod toto suo cancellariatus tempore nullum promoverit, nisi ipsi vel magnam summam pecuniae, vel pagos, vel possessionarias portiones, vel promontoria, vel notabilem argenteam au clenodium dedisset. Hac arte facile fuerat ipsi ditescere, ut fidedigni, qui ad officia promovebantur, retulerunt. Ad ultimum tamen collusionem facta cum principe Christiano a Lobkovicz, Generale Commendante Transylvaniae coram augustissima regina Hungariae Maria Theresia multa dictus princeps ipsi ad oculos objicit; post objecta, inter electos per Status pro Cancellario regina C. Ladislaum Gyulaffi de Rátóth confirmavit. Dum vero haec scribo in rei purissima veritate, nolim, posteritas putet haec me ex aliquo livore scripsisse, cum mihi, saltem ad faciem, semper se ostenderit amicum, sed scribo, ut

in ipso ostenderem posteritati lusum mundi et fortunae, quomodo quis fidat fortunae, cum et hic cancellarius exemplo omnium fere praedecessorum cancellariorum (si paucos excipias) in seopulos impegerit. Quamvis filium suum Ignatium viis, modis et artibus omnibus successorem cancellarium tam in Transylvania, quam Viennae laboraverit, et ideo etiam ad obeundum officium suum Praesidentis regni in Transylvaniam regressus non fuerit: verum omnis ipsius labor erat inanis et frustraneus; unde casum hunc bene notet posteritas. Ultimo hoc anno, sponte aut per insinuationem, omnibus suis officiis cessit, et per decretum mandatum est Statibus, ut loco ipsius tam praesidens regni, quam gubernialis consiliarius alii eligantur.

In locum ergo ejus ut praesidentis ex parte catholicorum electi sunt: Georgius Bálintith, votis 67, C. David Petki, votis 58, B. Joannes Toroczkai, votis 46; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Adamus Bethlen, votis 70, C. Alexander Teleki, votis 54, B. Sigismundus Bánffi, votis 54.

Similiter in locum ipsius ut consilarii ex parte catholicorum: C. Ladislaus Gyulaffi, votis 76, C. Stephanus Mikes, votis 27, B. Paulus Haller, votis 27; ex parte reformatorum sive calvinistarum: C. Michael Teleki, votis 28, B. Andreas Szent-Kereszti, votis 27, B. Samuel Kemény, votis 24, B. Joannes Lázár, votis 24.

Etiam hoc anno nullae arbores, quin imo nec ipsae salices ad 1-mum Maji emiserunt frondes.

Tam ordinarium quam extraordinarium quantum totius patriae consistit hoc anno in flor. Rhen. 671376 xr. 50.

Baro Ladislaus Mikola de Szamosfalva, Tabulae Reg. assessor, antiquae prosapiae, a Desmir, ex primis ungarorum ducibus descendens, cujus progenitores maximarum palmarum viri, et veri patriae patres et cives, hoc anno 28-a Aprilis, tam familia in ipso in virili semine, quam vero ipse in persona, annorum 82 senecio, defecit.

Serenissima regina Maria Theresia decretaliter indixit diaetam pro 21-a Maji, quo die et catalogus regni perlectus est, absentibus fere omnibus Statibus, nonnisi tempore lectionis catalogi praesentibus unico solo comite supremo, duobus regalistis et sedium sicculicalium Udvarhely et Háromszék deputatis, tribus vero expressis locorum taxalium, sed neque prototarii, neque guberniales secretarii fuerunt praesentes. Hinc catalogum regni necessitabatur legere Excellmi Dni episcopi secretarius; neque more solito absentes, sed praesentes notati sunt. Nunquam similis catalogi regni lectio observata est, nota posteritas.

26-a Maji perlectum est decretum regium, in quo materna teneritudine agnoscit regina promptitudinem Statuum in erigendo equestri regimine, cujus stabiles officiales per Consilium Bellicum denominabuntur, reliquos vero officiales cum consensu tribuni patria seliget, ita, ut legio haec sit cum Rhanh; durante bello, praeter naturalia (quae regina subministrari curabit extra patriam), sumptus patria subministret; facta autem pace totum stipendium regina administrari curabit, durabitque finito bello legio haec annis 15.

Legionem vero pedestrem privatam regina non admittit, sed ex promissis 2000 capitibus veteranae legiones tanquam per tyrones supplebit, ita, ut quin-

que novae centuriae, quaelibet centuria constans ex 140 capitibus, applicabuntur regimini Gyulaiano, quarum aequae officiales aptos cum cointelligentia tribuni patriae denominabit; utrumque hoc regimen denominationem habebit legionis transylvanicae.

Die 24-a Maji vesperi hora 11-a obdormivit in Domino C. Franciscus Lázár de Szárhegy, inclytorum sedium aicalicalium Csík utriusque Gyergyó et Kásson supr. judex Reg. prius Tabulae Judiciariae Reg. assessor, meus consobrinus, affinis, et quondam in rhetorica condiscipulus, amicusque sincerissimus, dilectissimus.

C. Josephus de Bethlen, supr. Comes Cottus Máramarosiensis moritur, ut dicitur, in peste.

Natio saxonica in sumptu militiae equestris difficilem se praebuit, causans insufficientiam suam, unde etiam per Consilium Bellicum reginam supplicavit, quae Serenissima decreto insinuavit sublevationem ejusdem nationis. Hoc decretum lectum est die 28-a Maji, verum Status reliqui inhaeserunt semel factae subrepartitioni; sed et natio saxonica postremo consensit, ea conditione, ut si in augusta Aula gravata agnosceretur, reliquae duae nationes eandem sublevant; verum et aliae duae nationes Suae Regiae Majestati transmittent, modo vero ad capitulationem descenderunt. Sed quia regina desiderabat, ut legio equestris usque ad finem belli sumptibus patriae, praeter ordinarium quantum contributionale, sustentetur, defectusque si qui fuerint, ex post patriae per recrutas resarciat: ad quod desiderium reginae dum Status non consensissent, eidem serenissimae reginae rescripserunt.

Regina diaetam pro 21-a Maji indictam per de-

cretum solvi jubet, et 20-a Augusti rursum réassumendam mandat, tamen ut ante solutionem diaetae personae aptae eligantur pro Cancellario provinciali et Thesaurario. Suae Matti pro confirmatione quantocumque transmittendae. Electae ergo sunt personae, pro Cancellario ex parte catholicorum : B. Georgius Bálintith, votis 57, B. Franciscus Klobusiczki, episcopus Transylvaniae, votis 39, B. Georgius Pongrácz, votis 36; ex parte reformatorum : C. Michael Teleki, votis 47, C. Adamus Bethlen, votis 37, Gabriel Alvinczi, votis 32. Pro thesaurario, ex parte catholicorum : B. Joannes Toroczkai, votis 57, C. Stephanus Mikes, votis 33, C. Antonius Kornis, votis 32; ex parte reformatorum : B. Sigismundus Bánffi, votis 39, C. Adamus Bethlen, votis 27, B. Josephus Nalácz, C. Michael Teleki, B. Stephanus Daniel, votis 22.

Die 26-a Junii exeo Cibinio.

Cibinium pro 20-a itaque Augusti rursum Status congregantur, sed Commissarius regius Theobaldus Comes a Csernin primo 13-a Septembris proponit propositiones regias; cujus synopsis haec est : 1-o juridica sub hac diaeta tractentur; 2-o ut inarticuletur successio haereditaria domus Austriacae, et contrarii articuli domui Austriacae e juribus eliminantur, similiter ut articuli religioni catholicae contrarii, necnon proscriptionem Patrum Societatis et eorundem fautorum concernentes deleantur, iidemque Patres solenniter acceptentur, bonaque eorundem a nomine fiscalitatis absolvantur; 3-o ut contributionum certa norma et methodus figatur conscriptione mediante; 4-o ut tam supremis quam vice-officialibus instructiones dentur, et certa iisdem solutio determinetur; 5-o ut in elocatione pecuniae quam naturalium interesse

sex per centum ne superet; 6-o ut jobbagyones quatuor, inquilinos tribus diebus domini terrestres ad labores compellant; 7-o resolvit Sua Mattas pro vacantibus officiis sequentes: pro Praeside Statuum C. Adamum Bethlen, ad officium consiliariatus et thesaurariatus B. Joannem Toroczkai, ad cancellarium provincialem simul et consiliarium B. Georgium Pongrácz, pro Tabulae Reg. praesidente B. Georgium Bálintih; ad vacantias Tabulae Reg. resoluti sunt: B. Josephus Huszár, Samuel Bethlen de Iktar, Joannes Béldi, Alexius Székely et Stephanus Berzenczei.

Pro supr. commissario provinciali resolutus est C. Antonius Kornis.

Ad novum exactoratus officium resoluti sunt: pro supr. exactore: Sacri R. Imp. C. Michael Teleki, pro adjunctis: Stephanus Gáborffi, Georgius Antos et saxo Petrus Binder; item penes hos resoluti sunt unus protocollista, tres cancellistae et unus officii servus. Solutionem habebunt ex cassa provinciali.

Pro registratore resolutus est Adalbertus Geczö: pro requisitore litterarum penes Capitulum Albense Gabriel Nagy, penes Conventum Kolosmonostriensem Petrus Endes et Stephanus Pataki, civis Claudiopolitanus.

17-ma Septembris B. Joannes Toroczkai in thesaurariatum et consiliariatum installatus est.

Die 24-a Septembris publicatur diploma Samuelis Bethlen de Iktar, in quo creatur Comes.

Ut legio equestris transylvanica a provincia erigenda toto belli tempore a Principatu alimentetur, regina volebat, secus tyrones in alia regimina distribuendi; verum Status non consenserunt, sed ut legio

absolute erigatur, et semel pro semper loco alimentationis patria obtulit 100000 flor.

Intra 29-am et 30-am Septembris hora noctis 12-a moritur sub diaeta Simon Bauzner, judex Reg. cibiniensis et nationis saxonicae Comes.

Quia vero C. Adamus Bethlen noluit deponere juramentum pro Praeside Statuum, praetendens, praesidem simul esse debere consiliarium Gubernii, certa vero pars Statuum censebat non esse de necesse esse consiliarium Gubernii, sed distincte posse esse praesidentem : hinc, tam ratione formae juramenti, quam vero de conjunctione duorum dictorum officiorum res transmissa pro decisione ad aulam regiam. Sed quia interim pestis severissime pluribus in locis pululare cepit, ex hoc metu die 8-a Octobris Status dissolvuntur, ea conditione, ut nisi pestis impediatur, pro die 15-a Novembris rursum congregentur huc Cibinium.

Moritur in Julio Alexius Orbán, sedis Aranyas supr. judex Reg.

5-a Novembris vehementissime nungebat, et tamen ad Cibinium tonitru et fulgur fuit.

Quoniam vero pestis jam in tantum saeviat, ut 130 pagi circum cum urbe Claudiopolitana infecti numerantur, quae vero persona peste inficitur, intra 6, ad summum 12 horas mori necesse habeat, rarissimi usque in diem tertium perveniant, quam vero domum inficit, ex ea domo omnes fere ad unum moriantur : sic ex hac ratione diaeta, quae 15-a Novembris continuari debebat, in tempus sanius et commodius differri debuit.

Jam etiam ratione legionis equestris Transylvaniae multarum disputationum finis est, et brevi erigetur, cum conditione superius declarata, cujus

stabales officiales creati sunt a regina colonellus C. Antonius Kálnoki de Köröspatak. vice-colonellus Volfgangus Macskási.

21-a Novembris rursum tonitru auditum. Annus vero hic mediocris sperabatur in fertilitate, verum multis in locis in autumnalibus deficit, uvae ad perfectam maturitatem pervenire non potuerunt, hinc vina acida et valde pauca; fulminum ictus sunt frequentissimi, plurimos homines, jumenta et aedificia conquassaverunt. Die 8-a Augusti Torjae cujusdam juvenis caput per medium percussit, unde pileus ipsius petasus in plurima frustra laceratus est, juvenis tamen vivus et absque notabili alteratione remansit, quamvis penes juvenem ex ejusdem fulminis ictu tres boves crepuerint.

Dicta die 21-a Novembris summa claritas in coelo ac si fulgur, circa horam 6 vespertinam, ita, ut quosdam etiam terruerit, et duravit per unum Ave Maria.

Superius notatus Joannes Bornemisza L. B. de Kászón moritur Viennae et sepelitur in Cellis in Styria.

Superius inscripti ad aulam regiam ex parte nationis saxonicae delegati: Petrus Binder, senator cibiniensis, et Michael Schüller, consul medgyesiensis, creati sunt consiliarii honorarii.

C. Ladislaus Gyulaffi, cancellarius Viennensis declaratur consiliarius Status intimus.

Resoluti sunt Viennae pro capitaneo Terrae Fogaras B. Andreas Szent-Kereszti; pro supr. judice Reg. sedis Csik C. Franciscus Kálnoki, uterque sine candidature, per commutationem; pro supr. Comite Cottus Albensis C. Stephanus Mikes; pro supr. Co-

mite Cottus Hunyadiensis Petrus Macskási; pro Tabulae assessore C. Lazarus Apor; pro secretario Gubernii Stephanus Boér de Nagy-Nyujtód. Supremis officialibus in locis majoribus salarium dabitur 1000 Rhen. flor., in mediocribus 800, in minoribus 600, vice-officialibus 150, notariis 80.

Anno 1743. Luctuosissimum initium hujus novi anni mihi, nam mea dilectissima conthoralis, Barbara Kálnoki, cum qua ab anno 1699 convixi, die 7-a Januarii hora 7-a vespertina placidissime obdormivit. Tumbae imposita 10-a Januarii, cum solenni pompa vero sepulta Al-Torjae in crypta Aporiana 27-a Januarii; cujus tumbae Dnus Joannes Dombi de Ika-falva, actualis vice-judex Reg. sedis Kézdi, idiomate hungarico hoc epitaphium apposuit :

A méltóságos gróf Kálnoki Borbára .

Liber Báró Apor Péter úr hiv társa ,

Jó gazdasszonyságnak mutatópéldája .

Itt fekszik bészárva örökös házába.

Hatvankét esztendőt töltött e világban ,

Negyvennegyed felet a szent házasságban :

Midőn ezerhét-száz negyvenharmadikban

Irnának , múlt ki : nyugodjék az Úrban.

Pater Michael Cseh, 33 annorum plebanus Al-torjensis et archidiaconus Háromszékiensis, et Mathias Szálpek creati sunt actuales canonici Carolinenses; item Martinus Szépvízi, plebanus Csík-Somlyóiensis et archidiaconus Csíkiensis, Adalbertus Antal. neocreatus archidiaconus Háromszékiensis et plebanus Polyániensis, Joannes Bíró, plebanus Claudiopolitanus facti sunt titulares canonici Carolinenses.

Georgius Keszler, judex Reg. Szeredahelyszékiensis, denominatus est consiliarius honorarius.

Hactenus tam supremis quam vice-officialibus

comitatuum et sedium siculicalium, quasi in salarium, dabantur in aestate, etquidem supremis officialibus ab integris comitatibus et sedibus, vice-officialibus vero certi mессores et falcatores, qui modo per regnam sublati sunt, cum quocunque titulo nuncupato quaestu. salvis remanentibus juridicis proventibus; sed loco laboratorum dabitur certa summa pecuniae a locis desumenda; etquidem supremis officialibus comitatuum in Cottibus Albensi, Thordensi, Küköl-löiensi, Hunyadiensi et Zarándiensi, sedibus Udvarhely et Háromszék 1000 rhen. flor.; vice autem officialibus, supremis iudicibus nobilium, vice-judicibus Reg. singillatim rhen. flor. 150, notariis in hac prima classe 80. In Comitatus vero Szolnok Mediocri et Interiori, Dobocensi, nec non Sedibus Siculicalibus Csík et Maros, nec non districtibus Fogaras, Kövár supremi officiales habebunt 800 flor. rhen.; in Cottu Kraszna et Sede Siculicali Aranyas supremi officiales desument flor. rhen. 600. In his ultimis duabus classibus supremi iudices nobilium et vice-judices Reg. siculi nec non vice-capitanei in Districtibus habebunt flor. rhen. 100, vice-comites 80, notarii secundae et tertiae classis 60, vice-judices nobilium in tribus classibus distinctim rhen. flor. 20.

Deputatis ex omnibus locis ad dietam proficiscentibus dabuntur rhen. flor. 50 singulis deputatis; ad anticipationem flor. rhen. 30.

Pro expensis ad celebrandas Generales Sedes judiciarias, in Cottu Albensi flor. rhen. 30, in Cottu Kraszna et sede Aranyas flor. rhen. 100.

In reliquis comitatibus, sedibus siculicalibus et districtibus separatim flor. 200.

Pro celebrandis Partialibus Sedibus flor. rhen. 20; pro Filialibus flor. rhen. 10.

Baro Joannes Lázár resolutus est pro supr. Comite Cottus Szolnok Interioris.

Pro 21-a Augusti diaeta est publica Cibinium, eadem die catalogus est lectus, et installatus in praesidem regni juramentumque deposuit C. Adamus de Bethlen; 22-a idem deposuit juramentum pro consiliario Gubernii. 23-a allatae resolutiones per Vienneenses delegatos lectae sunt. 26-a Commissarius Reg. Theobaldus Comes a Csernin proposita regia proposuit; collationes vero regiae sub hac diaeta publicatae sunt: 30-a Augusti Baronatus Georgii Barcsai; armales, signanter 30-a Augusti Joannis Vizi tricesimatoris Zilaiensis, Joannis Drágus, postarum magistri Carolinensis, Danielis Löffler, Nicolai Ivaskó; verum contradictum est Joanni Drágus per Status, eo, quod indigena non sit. 31-a Augusti installati sunt in Tabulae Reg. assessores B. Josephus Huszár, C. Samuel Bethlen de Iktar, Joannes Béldi, Lazarus Apor, Alexius Székely et Stephanus Berzenczei. 1-a Septembris Valentinus Theophilus Kising publicatur honorarius consiliarius. 2-a Septembris armales Francisci Hunyadi procuratoris et civis Claudiopolitani, 2-a Sept. Thomae Monos cancellistae, item armales Samuelis Halmágyi licentiati; Illrmi Joannis Michaelis Moringer baronatus et indigenatus. 4-a Septembris armales Samuelis Bene alias Kászoni, tricesimatoris Somlyaiensis, item armales Andreae Wolfgangi Vieland, civis et mercatoris Cibiniensis. 7-a Septembris Illrimi Dni C. Antonii Kornis super officio supr. Commissariatus, 9-a Septembris Petri Binder de Saxenfels, senatoris Cibiniensis exactoratus pro-

vincialis. Item 9-a Septembris armales Michaelis Schüller de Sonnenberg, consulis mediensis, Andreae Haan, judicis Reg. mediensis de Harmenstein, Andreae Waldhütter de Waldburg, consulis schaesburgiensis, Joannis Georgii Klep de Starenburg, judicis Reg. schaesburgiensis, Stephani Seivert, judicis bistriciensis de Rosenberg, Georgii Keffler de Kefflern, judicis Reg. mercuriensis; 10-a Septembris armales Danielis Ritter, senatoris cibiniensis de Ritttern.

13-a Septembr. Quia Nicolaus Pujj, ex Cottu Hunyadiensi, trajiciendo Stephanum Buda occidit, fugit inter Turcas, adeoque principem Josephum Rákóczi, ideo 13-a Septembris a Statibus nota infidelitatis condemnatus est.

Sub hac diaeta maximae discordiae et altercationes inter catholicos et acatholicos. In hoc quidem omnes consenserunt, ut articuli Portae Ottomanicae faventes deleantur, novique articuli condantur ad haereditariam successionem augustissimae domus Austriacae, verum catholici volebant mentionem fieri in articulis illis de articulis etiam praejudiciosis religioni catholicae, acatholici nullo modo consenserunt, sed volebant, ut separati articuli de praejudiciosis illis articulis suo tempore scribantur. Cum prolixè disputatum fuisset, ne coram regina catholici culparentur, remiserunt hanc suam praetensionem; vice versa, ad eosdem articulos acatholici volebant inserere diploma, quod catholici nullo modo admiserunt; et postquam per aliquot dies fuisset disputatum, nec convenire potuissent, res perscripta est ad aulam cum rationibus utriusque partis

Decretum venit: ne Patres Franciscani Reformati sua monasteria et residentias, prout etiam per-

sonas augeant, cum sit aggravio populo pluralitas ipsorum; de moderno etiam eorum statu regina informetur.

Nicolaus Keresztúri incl. sedis Marus supr. iudex Reg. optimus catholicus, optimae conscientiae, optimus jurista, meus optimus amicus, cui ab anno 1686 usque ad annum 1690 in scholis Claudiopoli convixi, et etiam conjunx ipsius mea consobrina fuit, moritur 1-a Novembris.

Annus hic quoad autumnalia infelix fuit, siligo quidem utcunque serviebat, verum ubi purum triticum seminatum fuit, ibi de potiori herbae inutiles provenerunt, ex 4 et 5 gelimis etiam vix metreta provenit; vernalia utcunque habuimus, vinum plane exiguum, et illud acidum.

C. Antonius Kornis in consiliarium gubernialem cum praecedentia, absque tamen sessione et voto; in Districtu Kőváriensi supr. capitaneus B. Paulus Haller; in sede Aranyas pro supr. iudice Reg. Alexius Orbán; et pro Tabulae Reg. assessore B. Franciscus Bánffi resolvuntur.

Hoc anno primo augustissima regina Maria Theresia dignata est assumere titulum Comitum Siculorum.

Anno 1744. 15-a Januarii circa mediam nonam matutinam tribus repetitis vicibus utcunque magnus terrae motus erat.

Item in Januario comparuit cometa ad occidentem, Coronae quidem tres visos scribunt, ad orientem et septemtrionem, et hunc ad occidentem.

C. David Petki de Királyhalma, prius Comes supr. Cottus Kolosiensis, ex post Regius Gubernii consiliarius, vir vere mitis, humilis, conscientiosus,

justitiae amantissimus, omnibus charus, omnibus acceptus, affabilis, maximo apud omnes sui desiderio relicto, sed vel maxime ineffabili moerore meo, nam a puero diligebamus ita invicem, ut fratres carnales uterini majori dilectione se diligere non poterant, 6-a Februarii moritur.

Hyems erat saevissima, frigidissima, sine intermissione, Boreas etiam quosdam in campo occidit iterum; nives non erant copiosae.

B. Samuel Kemény, Cottus Dobocensis supr. Comes, vir mitis et moderati genii, moritur Cibinii 19-a Martii sub diaeta.

Quae diaeta publicata fuit anno superiori pro 21-a Augusti Cibinium, et interrupta die 10-a Octobris, eadem hoc anno 7-a Januarii reassumpta fuit. In hac continuatione disceptabatur de inarticulationibus, prout superius notavimus, item de limitatione, verum nihil est decisum. Interim Bacchanalia sumptuosa quasi ad nauseam celebrabantur, cum exquisitis conviviis, musicis, choreis et potationibus. Simul varia portenta narrabantur quae Cibinii contigissent, scilicet quod supra turrim majoris templi saxonici apparuerit sepulchrum cui assidebat angelus, equus in aëre visus, et quod lamiae supra cujusdam domus cacumen choreas duxerint, et musicus quidem se musicum inter illas egisse fatebatur consuli Cibiniensi; item quod Coronae quidam aquaeductus sanguine manaverit.

7-a Februarii Aronis Baka de Kurtapatak armatae publicatae sunt.

In locum superius laudati defuncti C. Davidis Petki pro consiliario guberniali electae sunt personae, ex parte catholicorum: Cancellarius aulicus C.

Ladislaus Gyulaffi, votis 50, B. Petrus Apor, votis 34, B. Franciscus Haller, votis 28; ex parte acatholicorum: B. Stephanus Daniel, votis 71, C. Emericus Bethlen, votis 33, B. Volfgangus Bánffi, votis 37.

Sub hac continuatione diaetae variae quidem res disceptabantur, sed quia nulla decisio facta est, ideo nec notatione in particulari dignae.

Sed diaeta iterum ad ferias paschales interrupta, rursum 20-a Aprilis inchoata.

Iterum in fine Martii, et ad initium Aprilis visus est cometa, cujus cauda vergebat ad meridiem.

Nota posteritas, quod mea aetate in hac terra frigida Háromszékiensi non contigit: ad finem Aprilis quaedam arbores flores emisérunt.

Prout adhuc anno 1730 Status et Ordines Transylvaniae consenserant Claudiopoli, ut articuli praejudiciosi augustissimae domui Austriacae et religioni catholicae delerentur: sub hac diaeta illi articuli articulatim sublatis sunt.

Quidam monachus schismaticus, vulgo Kaluger, Bessarion nomine, ficta hypocritica sanctitate, nonnisi aliquot ficuum et fabarum esu superque lapides cubando, sibi apud valachos transylvanos falso sanctitatis nomen obtinuit, qui etiam multos seduxit, ut valachi ab unione cum romano-catholicis resilirent: dumque omnes fere valachi decepti eundem sequi viderentur, arestatus, Cibinii, et inde Dévam ductus fuit, ubi ex aresto per vim 600 valachi eripere volebant, ita ut commendans Dévensis tormenta contra ipsos dirigere habuerit necesse, et sic sedati sunt. Duodecimque tales in Transylvaniam venisse fama fert, quodve jam octo captivi detinentur, ut nempe

valachos ab unione catholica redire intenderent, duodecim hi a ficto et hypocrita dependentiam habent.

Quamvis ante diem 19-am Junii nocte praecesserat tempestas. 19-a tamen vesperi incepit nova et duravit tota nocte et tota die 20-a; erant fulgura maxima ut et tonitrua, plurima fulmina cadebant, grando ad instar ovi columbini, inaudita praeterea exundatio aquarum, cui similem moderna aetas non vidit, multas molas confregit, et in ipsis pagis exundatio maxima damna causavit, prout et multa foenilia et agros destruxit.

1-a Julii dissoluta est diaeta.

Ex Moldavia lues pecorum elata, pecora in copia crepare inceperunt.

Siquidem rex Borussiae regnum Bohemiae invasit, Pragamque expugnavit, hinc venit decretum reginae, ut et Transylvania viritim insurgeret, metus enim esset. ne idem rex etiam regnum Hungariae invaderet. Hinc magnates Tabulae Reg. et deputati tempore anticipationis Cibinii congregati, resolverunt: omnino insurgendum esse viritim, praeterea a quibusvis 30 subditis in Comitatibus, in Siculia vero a 40 unus bonus armatus eques miles sistatur.

Regina sola indicit diaetam pro 12-a Novembris Cibinium, in qua, sicut in praecedenti diaeta, articuli praejudiciosi augustae domui Austriacae necnon religioni catholicae, praecipue sacrae Jesu Societati, e legibus patriae deleti sunt, et loco illorum e diametro contrarii sanciti, sub hac diaeta per augustissimam reginam confirmati sunt.

Resolutus est in Gubernialem consiliarium cum salario C. Adamus Bethlen, qui hactenus erat supernumerarius, ejusdem vero filius Gabriel assumptus

est in supr. Comitum Cottus Dobocensis. Stephanus Berzenczei confirmatus est supr. iudex Reg. Sedis Siculicalis Maros. Michael Diószegi autem fit assessor Tabulae Judiciariae Reg.

Nota posteritas. Videbis superius, quoties ego fuerim electus in Gubernialem consiliarium. sed quia sorte mea semper contentus fui, nunquam sollicitavi; modo vero magna pars patriae, sed praecipue inclyta natio siculica absolute volebat, ut ego gubernialis persona fierem; sed quia jam ultima aetas advenit, in viribus valde debilitatus sum, sanitasque jam mea nimie mutata est, ideo humillime debui me excusare.

Annus hic in frumento mediocris erat, vinum in tertialitate provenit, sed bonum; grandines et tempestates non deerant. Ego vero Torjae plane defui in tritico.

In recompensationem capitalis insurrectionis, patria promisit reginae unum regimen equestre, quod debebant erigere magnates et omnes nobiles. qui a contributione erant immunes.

1-a Februarii natus est serenissimus archidux Carolus Josephus. Vivat.

Anno 1745.5-a Januarii erat exiguus terrae motus.

B. Joannes Toroczkai de Toroczkó-Szent-György, jam actualis thesaurarius, moritur die 25-a Januarii circa auroram intra secundam et tertiam horam Cibinii, qui qualis meus amicus fuerit, descripsi superius ad annum 1733, ubi ipsum installaveram in supr. capitaneum Fogarasiensem, adeoque mortem ipsius magno cum moerore intellexi.

Installantur supremi officiales in Cottu Dobocensi pro supr. Comite C. Gabriel Bethlen, in Sede

Marus pro supr. iudice Reg. Stephanus Berzenczei, denique in Sede Aranyas aeque pro supr. iudice Reg. Alexius Orbán.

Anno superiori mandaverat regina secundum leges patrias generalem insurrectionem ad bellum; unde etiam circa 28-a Octobr. generalis lustra instituta fuit per totam patriam, verum Status et Ordines in diacta ante nativitatem in redemptionem personalis insurrectionis promiserant reginae 1000 equites milites, quibus regina contenta non fuit, verum formale regimen, quod in finem moderni belli militaret, desideravit; hinc modo incumbunt comitatus et sedes, ut voluntati reginae satisfiat.

Hyems erat frigidissima utcunque nivibus mixta.

Stephanus Valdchircer, hactenus consul cibiniensis, resolutus est comes nationis saxonicae, qui conversus fecit professionem religionis catholicae. Michael vero Zekelius factus est iudex Reg. cibiniensis.

28-a Aprilis nix crurum tenuis cecidit, quae tamen 29-a ejusdem soluta est.

Anno superiori nominatum regimen equestre per magnates et nobiles erectum, debuit se sistere ad Válaszút, et ibi assentati, habuerunt lustram die 15-a Maji.

Super quantum hactenus patriae inflictum iterate mandavit regina patriae titulo surrogati in necessitatem moderni belli fl. rhen. 73564 in cassam bellicam spatio unius mensis administrandos; hinc, ut tempore anticipationis solet, supremi officiales et deputati 1-a Junii debebunt comparere Cibinii.

Ubi vero comparuissent, praefatam summam denegarunt pro hic et nunc, sed distulerunt ad comitia generalia regni.

Sacri R. Imp. Comes Michael Teleki, exactoratus provincialis praeses moritur in Héviz die 10-a mensis Septembris, cui in eruditione et humanitate vix modo par dabatur.

Regimen a magnatibus et nobilibus erectum in Majo se movet versus Bohemiam, cujus constitutus supremus colonellus B. Andreas Szent-Kereszti in Bohemia mense Septembri placida morte obiit.

Iterum plurimis in locis summa lues pecorum, quin imo canes circa autumnum plurimi fiunt rabiosi, sed certis in locis et sues.

Anno hoc autumnalia de potiori parce provenerunt, vernalia utcunque, vinum paucissimum sed bonum. Annus transiit sat quietus, absque notabilibus tempestatibus, rarisque grandinibus.

28-a Novembris in initio aurorae fuit fulgur et tonitru.

B. Georgius Bálintith de Tövis, Reg. Transylvaniae Gubernii consiliarius, et Tabulae Reg. praeses moritur Medgyesini 20-a Decembris, hora 4 matutina.

B. Stephanus Daniel de Vargyas resolvitur in supr. judicem Reg. Sedis Udvarhely.

Anno 1746. Quam legionem equestrem nobilitas anno superiore crexerat sub tribuno Barone Andrea Szent-Kereszti, qui etiam dum in Moraviam venisset, cito fatis functus est, pro-tribuo Nicolao Macskási, supremo vigiliarum praefecto Comite Francisco Bethlen, illam regina ad initium hujus anni solvit et dimisit ¹⁾.

Indicetur diaeta pro 15-a Febr. et subito publica-

¹⁾ Egy újabb példányban : quia praedicti stabiles nullius frugis homines erant.

tur Baronatus: Alexii Orbán supr. judicis Reg. sedis Aranyas, Davidis Henter protonotarii regni, et Gabrielis Alvinczi secretarii gubernialis; paulo post vero publicatur titulus Comitis familiarum Rhédai, Vas et Tholdalagi, nec non Baronatus Michaelis Diószegi.

Regina in propositione desiderat pro ordinario a regno rhen. fl. 700000, verum fixe ultimatim quantum determinatum est in fl. rhen. 609940 et xr. 30, surrogati titulo pro anno 1745, 73564, pro extraordinario quanto provinciae 120000, pro donario novi caesaris floreni 33333, xr. 20, item surrogatum pro anno 1746 fl. rh. 111892; quantum ergo hujus anni constabit in fl. rh. 948729, xr. 50.

Electi sunt pro thesaurario, ex catholicis: C. Stephanus Mikes, votis 70, C. Antonius Kornis, votis 59, B. Ignatius Bornemisza, votis 33; ex reformatis: B. Sigismundus Bánffi, votis 72, B. Joannes Lázár, votis 57, B. Volfgangus Bánffi, votis 53; ex natione saxonica: Michael Rosenfeld, Stephanus Vantitter et Michael Schüller.

Sub hac diaeta magna fuit dissensio inter Gubernium et Status. Hyems transit absque nivibus cum mediocri frigore, verum circa medium Martii ingens nivis copia cecidit.

Sub hac ipsa diaeta pro consiliariis electi sunt, ex catholicis: C. Franciscus Kornis, votis 39, B. David Henter, votis 34, C. Antonius Kornis, votis 33; ex reformatis: B. Gabriel Alvinczi, votis 50, B. Stephanus Daniel, votis 41, B. Volfgangus Bánffi, votis 39, B. Joannes Lázár, votis 39.

Pro praeside Tabulae Regiae: B. Franciscus Haller, votis 68, B. David Henter, votis 59, B. Igna-

tius Bornemisza, votis 41; ex reformatis: B. Wolfgangus Bánffi, votis 58, B. Josephus Inczédi, votis 46, B. Joannes Lázár, votis 40.

Pro praeside exactoratus: B. Paulus Haller, votis 49, B. Ladislaus Kemény, votis 48, C. Franciscus Kálnoki, votis 32, C. Emericus Bethlen, votis 61, B. Wolfgangus Bánffi, votis 52, B. Joannes Lázár, votis 30.

Cibinii in templo Societatis Jesu solenne Te Deum Laudamus celebratum est quod augustissimus Franciscus I Dux Lotharingiae et de Barri in imperatorem fuerit electus; non solum vero Cibinii, sed per totam patriam dominica quinquagesimae idem hymnus Ambrosianus fuit decantatus, Status vero tractati sunt in domo Halleriana Cibinii.

Prout superius scripsimus, quod militiam insurgentem regina dimiserit, equos tamen eorum et arma patria haec donavit reginae, absque tamen consequentia.

Nodariorum enyediensium cehae privilegium Sua Mattas confirmavit, et publicatum est.

Neo-electo augustissimo imperatori, ad instar reliquarum provinciarum haereditariarum, obtulit dono et haec patria in grati animi tesseram 8 millia aureorum.

Publicatur etiam Comititis titulus Baronis Ladislai Kemény, qui in tantum acceptus est serenissimo puero archiduci Josepho, ut sine ipso quasi esse non possit; simul idem Dnus Kemény factus est catholicus, filios vero ejus vestit, instrui curat Viennae in collegio Pázmániano regina.

Publicatae sunt armales Francisci Abos de Csik-Borsova, et Thomae Puskás de Gyergyó-Gyitró.

Emericus Miske installatus est Tabulae Reg. assessor.

Inter duas nationes, ungaricam videlicet et siculicam, ex parte altera vero nationem saxonicam, magna dissensio fuit circa candelationem cardinalium officiorum, neque praedictae duae nationes consenserunt, ut ex natione saxonica candidentur pro cardinali officio, unde superius nominatas personas saxonicas neque duae nationes, sed sola natio saxonica candidavit.

Duo incendiarii sunt combusti, scilicet maritus cum uxore, in Al-Doboly, quorum quidem corpora ab igne resoluta sunt, utriusque tamen cor intactum remansit.

Resoluti sunt Viennae pro thesaurario B. Ignatius Bornemisza, pro praeside Tabulae C. Ladislaus Kemény, et simul hi duo pro consiliariis Gubernii; pro praeside exactoratus B. Joannes Lázár, et etiam installati sunt.

Comes Theobaldus a Csernin, qui fuit hactenus Commendans Generalis interimalis, mutatus est, in cuius locum successit C. Josephus a Platz.

Lues pecorum et hoc anno in quibusdam partibus patriae grassabatur.

Hic annus fuisset felicissimus, nisi pruina 10-a May flores arborum decoxisset, hinc certis in locis nullus fructus. Benedictio tamen Dei fuit majori ex parte tam in frumento quam vero in vino in tota fere patria, et vinum quidem generosum provenit. Annus mitis absque notabilibus tempestatibus et grandinibus.

Nocte quae praecessit festum immaculae conceptionis, 8-a Decembris Medgyesini ingens terrae motus fuit, unde etiam duo camini corruerunt, gali-

nae ex cubili cadebant; etiam alibi senserunt, sed non tam notabiliter.

Anno 1747. Ante diem 23-am Januarii noctu fulgurabat. Pro eodem die 23-a Januarii indicitur diaeta Cibinium, et catalogus in ipso termino perlectus est. Quia vero iudex armenorum Ebesfalviensium donarium suorum armenorum in pecunia tulit Viennam Suae Caesariae Regiae Matti, etiam Sua Mattas litteris armalibus eundem nobilitavit, quae etiam 27-a die Januarii publicatae sunt, nemine contradicente; interrim tamen loquela erat, ne per adeptionem armalium esset plane talis, qualis est antiquus indigena.

Super hac diaeta moritur Joannes L. B. Bornemisza, generalis vigiliarum praefectus, Cibinii 13-a Februarii, et sepelitur ibi cum pompa 5-a Martii. De hujus genitore facta est mentio superius ad annum 1742.

Societas Jesu, ante annum in indigenam recepta, hoc anno penes decretum regium regalibus litteris vocatur ad diaetam habebitque locum inter magnates.

1-a Martii hora 7-a vespertina maximum fulgur ex maximum tonitru.

Lues pecorum in certis partibus patriae hujus in summo grassatur.

Locustae anno superiori omne frumentum in Tartaria depastae sunt, hinc fame urgente plurimi tartari transierunt fluvium Pruth, et venerunt in Moldaviam, et plurimi illorum mendicant.

1-a Martii superius descriptum tonitru et fulgur universaliter per totam patriam fuit, unde in multis locis plurima fulmina ceciderunt. Tempestatem illam excepit saevissimus ventus boreas nivibus mixtus, cum intensissimo frigore, et durabat quasi per 15

16*

dies. Glacies jam erant solutae per totum, sed per hoc frigus aquae de novo ita fuerunt congelatae, ut glaciem pro hac aestate ex hac nova congelatione posuerimus.

22-a Martii hora 7-a vespertina iterum fulgur, quod subsecutae sunt nives, et durarunt fere ad 28-am Martii super segetes, sed segetibus non nocuerunt.

Rndiss. Dnus Michael Cseh, ex ejusdem nominis nobili familia in Szent-Kátolna, de quo superius ad annum 1743, ubi notavimus, quod ad aetatem plenitudinis Christi fuerit plebanus al-torjensis, expleto suo praesbyteriatus anno jubilaeo, id est quinquagesimo, 2-a Aprilis, idest in festo Paschatis celebravit solenniter secundas primitias, quod rarum est in Transylvania.

Nota. Superius specificatus armenorum ebesfalviensium iudex, nomine Joannes Lázár, non solum armalibus, sed etiam torque aureo fuit a Sua Matte Reginali donatus.

Publicatae sunt privilegiales oppidi armeni Ebesfalviensis, cui Illrima familia Bethleniana contradixit.

Quantum hujus anni militare in summa constat in flor. rhen. 609940.

Moritur Franciscus Daniel de Vargyas, Tabulae Jud. Reg. assessor, vir humanissimus, mitis et humilis; dolendum quod in vita sua Arium honoraverit.

Totus Aprilis frigidissimus cum frigido vento boreali, aliquoties congelata terra, sed praecipue 25, 26 et 27-a Aprilis nives iterum.

2-a Maji mane, hora 4-a videlicet, bis repetitis vicibus terrae motus, sed secundarius erat vehementior.

Resoluti sunt officiales pro supr. Comitibus, et-
quidem pro Cottu Thordensi B. Josephus Huszár,
pro Cottu Szolnok Interiori B. Paulus Haller, pro
Districtu Kőváriensi C. Emericus Bethlen; Tabulae
Reg. assessores: senior Franciscus C. Bethlen et C.
Paulus Haller; registrator Gubernii Samuel Récsei;
pro cancellista Cancellariae aulico-Transylvanicae
Josephus Kozma junior de Kézdi-Szentlélek.

Die 5-a Maji natus est serenissimus archidux
Petrus Josephus Joachimus Gothardus Antonius;
vivat.

Diaeta quae inchoata fuit 23-a Januarii, termi-
nata est 17-a Junii, sub qua fere nihil fixi conclusum.

Cibinii armamentarii praefectus seu Feldleiti-
nantius, quia ex armamentario plurima dilapidavit, ut
refertur, circiter ad 30000 florenorum aestimata, jure
convictus, 23-a Junii suspendio vitam finivit.

2-a Julii ad instar ovi gallinacei, et etiam major
grando cecidit cum summo tonitru, aliquot pagorum
segetes conquassavit, in sylvis nives cadebant, ex-
post quatuor diebus insolitum frigus fuit.

Innumera multitudo locustarum exivit ex Molda-
via, ubi vero condescendit, omnem avenam, milium
et saracenicum triticum in nihilum redegit.

Maxima siccitas in autumno, ita, ut primo post
festum S. Michaelis inceperint seminare.

Annus hic dives erat in grandinibus et tempe-
statibus, vernalia plane parce provenerunt, autumn-
alia utcunque in stramine, sed in granis parce, vinum
in mediocritate, sed bonum.

Excellmus Dnus Comes Campi Marschallus a
Traun resolutus est actualis Generalis Commendans
Transylvaniae.

Hoc anno visum oculorum in tantum amisi, ut nec scribere, nec legere possim, hinc excusatum me habebis posteritas, si res patriae, prout hactenus feci, tam exacte describere non potero.

Anno 1748. Ut vidisti superius, posteritas, visum plane amisi, res ergo patriae laconice per alios describi sic curavi.

Moritur B. Josephus Nalácz Gubernii consiliarius. Item: anno superiori in Transylvaniam ingressus Generalis Commendans Comes a Traun moritur.

Hyems erat durissima, frigidissima, pluribus nivibus mixta, quae insoluta mansit usque ad circiter 1-mum Aprilis, tunc visae sunt tantisper solvi; stramen et foenum pecorum utcunque defecit, hinc arduum erat oves et pecora sustentare.

Ver usque ad festum S. Antonii siccissimum. Vigesima autem tertia Maji Cibinii et Coronae magnus terrae motus.

31-a Julii Enyedini ingens nubifragium; ita inundaverat fluvius, ut pontem lapideum aqua destruxerit.

Eadem die Claudiopoli summa tempestas, creberrimi fulminum ictus, in solo Monostor quatuor domus a fulmine combustae sunt, grando maxima, conquassavit vineam et campum, nubifragium tale, ut ita inundaverat Samusius, ut aquam duo montes clauserint.

Locustae plurimis in locis maxima damna fecerunt, praecipue in Cottu Hunyadiensi et circa Albam-Carolinam et Sabesium.

Indicetur diaeta pro 20-a Augusti Claudiopolim. 21-a hujus lectus est cata'ogus.

23-a Augusti Samuel Szilágyi installatur in Tabulae Reg. Judiciariae assessorem.

Comes Adamus de Bethlen Statuum Regni Praesidens sub hac diaeta moritur.

Lues pecorum in certis locis in summa vastat pecora.

Dum 8-a Septembris moritur praefatus C. Adamus Bethlen, 30-a Septembris Claudiopoli in platea Lupi in templo calvinistarum summa pompa funebris peragitur, et inde educitur in Keresd, ad locum sepulchralem familiae.

In hujus locum tam praesidentis, quam consilarii gubernialis ex omnibus religionibus et nationibus a Statibus dignae personae eliguntur, sed quia ob amissum visum brevitatis studemus, dabimus suo tempore nomina eorum, qui confirmabuntur.

Annus hic quoad autumnalia erat infelix, felicior quoad vernalia, felicissimus quoad vinum etquidem optimum.

Indicetur diaeta pro 6-a Januarii anni sequentis.

Anno 1749

OBSERVATIONES.

Observa 1-o) Posteritas: me a tribus augustissimis imperatoribus tres speciales benignitates et clementias accepisse. A Leopoldo confirmatus fui supr. Comes Cottus de Küköllö, a Josepho Sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvára supr. iudex Reg., denique a moderno augustissimo Carolo VI baronatu et torque aureo donatus sum. Cur vero debuerim cedere Cottum de Küköllö, ratio haec est: ob rationem infra in Synopsi anno 1706 descriptam, tantisper ab eo officio suspensus fui, ubi tamen meam innocentiam abunde in augustissima aula comprobassem, meum honorem recepi quidem omnem in Conferentiali Ministerio una cum bonis et dignitatibus, sed vix hanc clementiam augustissimi Josephi accepi, cum subito temporis illius Generalis Commendans Joannes Ludovicus Comes de Rabutin proposuit illius temporis Gubernio Regio Transylvaniae, velle augustissimam aulam, ut ego constituerer supr. iudex Reg. trium Sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklósvára; crediderim ob consolationem, quod innocenter viginti duobus mensibus in arce Coronensi arestum sustinuerim. Ad propositionem ergo Generalis Commendantis a praefato Gubernio citor Cibinium, venio per Valachiam ob motus patriae: proponit Gubernator Comes Georgius Bánffi, ego me honeste excuso, quod de clementia

augustissimi imperatoris Leopoldi jam ego habeam officium supremum, ad quod Gubernator: quid nocet si duo habuero? Ad hoc verbum subduco me Cibinio, redeo Coronam, nolens properanter agere in rebus meis, sed prius experire volui, num de augustae aulae voluntate volunt me constituere supremum judicem. Quod ubi ab amicis rescivissem, rursum vocor Cibinium, quo iterum per dictam Valachiam venio. Exprobrat Gubernator, cur discesserim sine scitu, excuso me rursum honeste, et jam mandato obtempero, ea tamen conditione, ut libertas nationis siculicae non turbetur, sed penes recommendationem maneat electio articularis libera, ita, ut si per voces electus non fuero, libenter cedam. Praesento commissionem inclytis Sedibus in Maxa, et mox unanimi quasi voto eligor. Sub ipsa electione adsunt deputati sedium siculicalium Csík- Gyergyó et Kászón, referentes, me unanimi earum inclyt. Sedium voce esse electum supr. judicem Reg., quinimo et alia loca me expetebant, placuit tamen juxta resolutionem augustae aulae hic me confirmare. Mox ex instinctu amicorum per humillimum memoriale ab augustissimo imperatore Josepho repeto et officium supremi comitis Comitatus de Küköllő, sed maximo meo infortunio placuit divinae voluntati eundem augustissimum imperatorem e terrestri regno ad coeleste evocare. Remisit ergo augustissima imperatrix vidua Leopoldi Eleonora meum memoriale Regiae suae Deputationi ad informandum, quae Reg. Deputatio informationem dedit, me commutasse dictum officium supr. Comitatus moderno cum officio; qua informatione non modice contra me fuit offensa augusta aula, quod ego benignitatem augustissimi commutaverim, et ubi

modernus Excellmus Gubernator Comes Sigismundus Kornis, tunc cancellarius aulicus, cum certis propositionibus aulae in patriam hanc expeditus fuisset, simul in mandatis habuit, ut de negotio hoc meo plenariam ferret informationem. Citor ergo ad congregationem Deputationis Medgyesinum; ibi dictus Excellmus Dnus Gubernator, tunc cancellarius, in informationem Deputationis mihi aperit, ad quam ego simplicem do negativam; quam dictus cancellarius reportat Deputationi Regiae; ad quam meam negativam rursum reponit Deputatio Regia, se quidem non scire certo quod mutassem, sed duo fide digni referunt ex membris Deputationis, se audivisse a B. Stephano Haller Regni praesidente, jam tunc mortuo, quod ego dictum officium mutavissem; sed ego rursum reposui: cum mortuis litigare non possum, si in vivis esset, jam ipsi responderem. Cum qua informatione dum cancellarius Viennam ascendisset, proposuissetque, responsum accepi, quod ubi aliis officia restituentur (nam multorum officia erant suspensa), et mihi restituetur. Hanc meam resolutionem dum malevoli rescivissent, rursum augustam aulam informarunt: esse duo contraria, gerere officium comitatense et officium siculicum. Cum hac sua informatione hoc effecerunt, quod et me quidem ab uno officio amoverunt, sed simul apud augustam aulam hoc sunt lucrati, quod ab illo tempore augusta aula nulli duo stabilia officia conferat, ubi praedecessores nostri etiam tria, subinde quatuor officia gerebant. Cancellarius tamen modernus, B. Joannes Bornemizza de Kásson rescribit mihi, ut eligam ex duobus, quodve mihi magis placuerit, illud dabitur; sed ego

clementiae augustae aulae me commisi, et augusta aula permisit hoc in officio.

Sed et ad alia officia saepe patria haec me elegit, et quia ad alia etiam officia pervenire non potui, non ita malevolorum informationi attribuo, quam quod Deus ita voluerit. Fiat itaque semper voluntas Dei in me, Domini enim voluntas est mea voluptas.

Hinc observandum 2-o): Ante motus Rákóczianos, de quibus infra ad annum 1703 et consequenter: in Transylvania in quolibet Comitatu, excepto Cottu Hunyadiensi et Comitatus in Partibus Hungariae sitis et a Transylvania in iuridicis dependentibus, quilibet Comitatus, prout et inter siculos quaelibet Sedes, duos habuerunt supremos officiales, qui binarius numerus terminatus est sub ipsa revolutione Rákócziana, etquidem in Cottu Albensi in Samuele Keresztesi de Nagy-Megyer, et Comite Laurentio Pekri de Pekrovina, et in his duobus etiam familia in virili semine defecit, quamvis Pekri in alia linea etiam hodie dentur; in Cottu de Kükölli in Comite Samuele de Bethlen, et Barone Petro Apor de Al-Torja; in Cottu Kolosiensi in Comite Georgio Bánffi de Losoncz, Transylvaniae Gubernatore, et Comite Stephano Csáki de Keresztzeg; in Cottu Dobocensi in jam fato Gubernatore Georgio Bánffi et Volfgango Bánffi utroque de Losoncz; in Cottu Szolnokiensi in Comite Michaeli Mikes et Comite Francisco de Bethlen; in Cottu Thordensi in Comite Stephano Apor de Al-Torja et Barone Stephano Haller; in Cottu Hunyadiensi circa illud tempus erat supr. Comes Stephanus Náláczy senissimus, in Comitatus vero partium Regni Hungariae, etquidem in Cottu Máramaros C. Nicolaus de Bethlen, in Cottu Szolnokiensi Mediocri

Baro Stephanus Vesselényi, in Cottu Krasznensi Franciscus Boér de Kövesd supr. Comites; in Districtu Köváriensi supr. capitaneus C. Michael Teleki de Szék, in Districtu vero Fogarasiensi supr. capitaneus Simon Boér de Kövesd. In sedibus siculicalibus binarius numerus terminatus est in sede Udvarhely in Comite Laurentio Pekri supr. capitaneo, et in Comite Francisco Gyulai supr. iudice Reg.; in sedibus siculicalibus Sepsi, Kézdi et Orbai ut et Miklosvára in Comite Michael Mikes de Zabola supr. capitaneo, et Comite Samuele Kálnoki de Köröspatak supr. iudice Reg.; in sedibus Csík, Gyergyó et Kászon in C. Stephano Apor de Al-Torja supr. capitaneo et in Benedicto Henter de Sepsi-Szent-Ivány, supr. iudice Reg.; denique in sede Aranyas in Stephano Toroczka de Toroczko-Szent-György supr. capitaneo et Andrea Szilágyi supr. iudice Reg.

Observe 3-o): Tempore principum ungarorum Transylvaniae nulli dabatur titulus Illustrissimi praeter solum principem, sed Comes, Baro contentus debebat esse cum Spectabili ac Magnifico; nulli dicebatur Dominus, vulgo az úr, praeter consiliarios Principis, Comites et Barones, sed Vestra Dominatio, vulgo uram. Consilarii Principis utebantur titulo Spectabilis ac Generosi; eminentiores Generosi, mediocres Egregii, denique inferiores Nobiles, quamvis video tempore principum utriusque Georgii Rákóczi etiam consiliariis principum solum titulos Generosi datos.

Observe 4-o): filiis magnatum, praeter consiliarios, Comites et Barones, prout et eorundem domicellis nulli dicebatur urfi et kisasszony, sed kisuram, kisasszonyom.

Observe hic 5-o) posteritas: quod antiquitus rari erant tituli, sed pingues vituli, hodie copiosi tituli, sed macilentissimi vituli ¹⁾).

MANTISSA.

Nota Posteritas ad annum 1704: Quod postquam Princeps Rákóczius continuasset suos motus, deficiente pecunia argentea. ut suos milites exsolvere possit, cudi fecit cupream, et quidem decem polturarum, in cujus parte una erat X, decem denotans polturas, et annus, in altera vero hoc lemma: Pro libertate; secundo et polturas cudi fecit et duarum polturarum, in cujus una parte Beatissimae Virginis effigies, in altera hoc verbum: Poltura, et annus.

Nota 2) Posteritas. Anno 1729, dum in congregatione Cottus Albensis fuisset in Monora, de nocte ex cubiculo exeo lunam contemplaturus (quae pernox fuerat), dico ad Josephum Imecs, modernum notarium Sedis Orbai: intra tres horas diescet; ad quod verbum ex uno angulo, in quo nullus homo fuit, respondetur portentose idiomate hungarico: diescet certo intra duas. Quaero: quis et tu? respondit: ego sum ego; rursum quaero: quid tibi nomen? reponit: ego sum Michael Apaffi. Sed tam ficta voce utebatur, ut homini talem vocem fingere posse non est credibile. Hoc portento audito, redivi in cubiculum.

Nota 3) Posteritas. Quod dum anno 1722, ut

¹⁾ Nota bene: Omissum est in observatione 2-a, quod in sede Marus binarius numerus terminatus sit in Comite Samuele de Bethlen, supr. capitaneo, et Joanne Sárosi de Szent-László, supr. iudice Regio.

infra, domus mea ex lignis exstructa Galacziensis tota conflagrasset, ita, ut prae vehementia ignis praeter cineres nihil remanserit, omnis argenteria, uniones, stannea et plumbea instrumenta, quid quid denique igni subjectum fuit, liquefacta: stabat cera Innocentii XI, opere monialium circumducta, affixa super mensam in qua legere solebam; haec cera cadens e loco, inter flagrantissimos et densissimos ignes decem fere horis illaesa permansit, ita, ut et hodie nisi exigua liquidatio appareat cerae in superficie, secus nullum vestigium tam in cera quam in circumferentia, quod vel minimus ignis attigisset.

Nota 4) Posteritas. Recenter inveni, quod anno 1611 Andreas Géczi fuerit supr. Capitaneus Sedium siculicalium Sepsi, Kézdi et Orbai.

Nota 5) Posteritas. Anno praesente 1742, 27-a Maji Spect. Dnus Petrus Dobra, Sacrae Reg. Mattis in Transylvania Causarum Fiscalium Director, inter litteras principum Apaffi invenit antiquas litteras familiam Aporianam concernentes antiqua monastica scriptura exaratas authenticas, quas mecum communicavit, quarum extractum hic subjicio.

Litterae Capituli Transylvaniensis de anno 1319, quibus possessionis Ujlak duae partes in Cottu de Küköllö adjudicantur Aporio, filio Leder, filio Comitibus Garus.

Anno 1325 item Gyakos-Telke eodem Apor. Anno 1337 statuitur, seu idem Apor, filius filii Comitibus Garus, in eandem introducitur. Anno 1373 inter eundem Ladislaum et fratrem ejusdem Balaad dictum per arbitros rectificatio ratione mediae dictae possessionis Gyakos, altera medietate Petro et Georgio, fratre ejus, nec non Ladislao et Emerico cedente.

Nota 6) Posteritas. Ex iisdem litteris clare constat, in praelatis annis familiam Apaffianam, familiam de Ebesfalva et familiam Aporianam condivisionales fuisse, Aporios tunc etiam Comitum titulo insignitos exstitisse.

Nota 7) Posteritas. Ad annum 1693 oblitus fueram notare, quod cum Tökelió, dum anno 1690 multi Transylvani intrassent in Valachiam, inter reliquos intraverat et Paulus Mikes de Zágon, qui fato anno circa finem Novembris noctis sub silentio occultissime cum sibi similibus kuruczónibus exivit in dictum pagum Zágon, sub specie quod nobilitatem ad fidelitatem Tökelií vellet inducere in Valachiam, ast revera, ut quosdam nobiles occideret, quorum bona suo tempore posset occupare, adeoque Thomam et Balthasarem Jankó curavit suspendi ad unam pomum in fine pagi, Urbanum vero Vajna Paulus Mikes in suo proprio horto ad pomum curavit suspendi, et cum his simul quendam nobilem Thomam Literáti ex Páké; Petrus Jankó vero evasit mortem, cum abfuerit in castris germanicis ad Sepsí sz. György, interim conjugem ejus, et quid quid fuit in domo, curavit una cum reliquorum bonis ex familia Jankó prout et incolarum in Zágon dispoliari. Hac tyrannide peracta, rediit in Valachiam. Verum cum hujus ipsius tyrannidis fama ad augustissimam aulam Viennam pervenisset, augusta aula subito misit ordines ad illius temporis Commendantem Generalem Fridericum Comitem a Veterani, ut ageret cum principe Valachiae Constantino Brancoviano, ut Paulum Mikes omnibus modis allaboraret, ut in Transylvaniam adducerent. Egit et effecit, et quadam nocte nihil tale opinantem Paulum Mikes, dum cum conjugé suaviter dormiret, per suos

milites capi curat; et quia dictus princeps erat etiam offensus Paulo Mikes, nam saepe scriptitabat contra principem Tökelio, fama vulgata fuit, quod eadem nocte Paulus Mikes decapitatus fuerit, et injectus in quandam fossam. Verum post horam, qui milites ipsum caeperant, eum dereliquerunt, et novis est circumdatus; similiter in quavis statione novi milites additi sunt, quousque ad Rubram Turrim deductus, ibi militibus germanis concreditus fuisset. De die semper in sylvis occultarunt se milites, et de nocte ducebatur; milites germani etiam occultissime Cibinium induxerunt; ibi etiam capitose se gerens, similiter beneficio noctis occultissime Fogarasinum est deductus, ubi in perpetuum et angustissimum carcerem est injectus, ibique tam occulte servatus, ut usque ad finem vitae nullus de ipso quidquam sciverit praeter officiales, qui ipsius curam habebant; nam neque communibus musquetariis fuit licitum ipsum accedere, officiales etiam fide erant semper obstricti, ut occultissime omnia servarent. Hinc laidinantius arcis non de die, sed de nocte ipsi ad comedendum portabat. Vixit in hac promerita poena usque ad annum 1712, quo mortuus est, et de media nocte sepultus. Tunc primo occultissime propalavit dominus laidinantius Dno Josepho Boér vice-capitaneo Fagarasiensi, et ex post res venit in apricum. Erat totus hirsutus, unguis ut ferarum. Verum principis Valachiae Brancovani etiam funestus casus. In Porta Ottomanica ex parte imputabatur, quod Paulum Mikes tradiderit Germanis, nam unde vel inde, etiam Porta hunc casum resciverat.



Umbra it, fumus abit, cape bullam, quid remanebit?

Bulla velut fumus, cernis ut umbra sumus.

In mundo paucos tantum modo vivimus annos,

Intra ortum, occasum non mora longa datur.

Breves dies hominis sunt. Job, v. 14.

Hi sunt ex quibus vita nostra comite aliquorum suspiciebamus majestatem, mirabamur potentiam, fortunam, pompam, divitias, magnanimitatem, sapientiam, thesaurum, prudentiam, formam, auctoritatem, affabilitatem, familiam. Ecce nunc in pulvere dormiunt (Job v. 7), et fugerunt velut umbra. Job. v. 14.

Mors nulli parcit honori.

Jesu Christi in terris vicarii seu Pontifices Romani aetate mea: Clemens X, Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII, Clemens XI, Innocentius XIII. Vivit Benedictus XIII (mortuus anno 1730, 15-a Februarii. Clemens XII † 1740. Benedictus XIV † 1740.)

Augustissimus, Potentissimus ac Invictissimus Imperator et Rex Hungariae, caesar Leopoldus I, sub quo quantum Luna in Hungaria per duo fere saecula crevit, per 15 annos fere tantum decrevit. Mortuus anno 1705 die 5-a Maji.

Augustissimus, potentissimus ac invictissimus imperator et primus haereditarius rex Hungariae

Josephus I., qui tumultuantes Hungaros sub capite Francisco Principe Rákóczi primum in sinum clementiae recepit, amnistia generali concessa; mortuus anno 1711 die 17-a Aprilis.

Vivit augustissimus, potentissimus et invictissimus imperator Carolus VI, cui Ungaria et Transylvania in sexu foemineo cessit haereditaria, recuperavit Hungariae Banatum Tömösiensem cum arce Tömösvár, et Belgradum cum magna parte terrae Hungariae, prout et Valachiam Cis-Alutanam.

Celsissimus regnans Transylvaniae Princeps Michael Apaffi I, mortuus anno 1690 Fogarasini 15-a Aprilis.

Celsissimus electus Transylvaniae et S. Romani Imperii Princeps Michael Apafi II, mortuus Viennae 1713.

Terrores Orientis, sive caesarei exercitus supremi Ductores, qui pro Hungaria cornua Lunae confregerunt:

Serenissimus Emanuel, Elector dux et princeps Bavariae. Serenissimus Carolus dux Lotharingiae. Serenissimus Ludovicus dux Badeniae. Serenissimus dux de Croy. Excellmus Aeneas Comes Caprara. Vivit modo nunquam victus serenissimus Princeps Sabaudiae Eugenius (mortuus 1736, 28-a Aprilis).

Defensores Transylvaniae, sive Generales Commendantes:

Excellmus Comes a Scherffenberg, mansit in assultu Belgradensi anno 1688, die 6-a Septembris. Germanus.

Excellmus Dnus Josephus Comes Karaffa. Italus.

Excellmus Dnus Fridericus Comes Veterani, qui semel cum quatuor regiminibus vires Supremi Vezirii universas dissipavit; secundo vix cum septem milli-

bus Sultani Turcarum castra universa aggressus ad Lugos et Kárán-Sebes, et postquam duodecim millia Turcarum delevisset, gloriose pro Transylvania occubuit, anno 1695. *Italus.*

Excellmus Dnus Donatus Comes ab Heisler, qui cum Tökölö, plurima Turcarum cohorte, vix quatuor millium globo stipatus ad Töröcsvár confixit, oppressusque a multitudine, in servitio Transylvaniae anno 1690, aliquot annis captivitatem Tökeli sustinuit, demum dum anno 1696, Serenissimo tunc Saxoniae duci et principi, modo vero potentissimo Poloniarum regi Friderico Augusto socius bellidux constitutus fuisset adversus in persona praesentem Orientis tyrannum, gloriose pro Christianitate occubuit. *Germanus.*

Excellmus Dnus Comes Kastelli, qui eodem anno 1690, jam captivo existente Excellmo Comite ab Heisler, ab armada, ut vocant, magna Cibinium missus, pio et sancto consilio dato Transylvanis Cibinii in fidelitate legitimi regis inclusis, non solum in persona ipsos in fidelitate defendit, verum et universa ipsorum bona externa a furore Tökölö conservavit. *Italus.*

Serenissimus et Excellmus Princeps a Vaudemont, amor Transylvanorum. *Germanus.*

Excellmus Dominus Joannes Ludovicus Comes de Rabutin. Gallus, Transylvanis parum gratus.

Excellmus Dnus Comes de Erbeville, pro interim, Lotharingus.

Excellmus Dnus Comes de Zante, pro interim.

Excellmus Dnus Marchio de Cusani, *Italus*, alter Transylvanus ob sui accommodationem.

Excellmus Dnus Baro Krikpaumb, *Austriacus*,

qui totis viribus bonum patriae allaborabat, effecissetque nisi matura mors interturbasset, factus enim erat Generalis Commendans anno 1708, et mortuus fuit anno 1710.

Excellmus Dnus Stephanus Comes Steinville, Lotharingus, vir mitis ingenii, qui Carolinam, arcem Claudiopolitanam et arcem Csik-Szereda fundavit, viamque Carolinam in Valachiam aperuit. Mortuus anno 1720, sub quo Tartari anno 1717 per passum Bistriciensem Transylvaniam invadunt, et Districtum Bistriciensem, Cottum Szolnok Inferiorem, nec non partes Cottuum Kolos et Doboka comburunt, depopulantur, multos in captivitatem abducunt, pecora abigunt; vapulant tamen iidem Tartari ab incolis Cottus Máramarosiensis, dum per ejusdem Cottus passum reditum parant, plurima parte captivorum et pecorum relicta.

Excellmus Dnus Damianus Hugo de Virmond, tractator pacis Passarovicensis, et extraordinarius legatus ad Portam Ottomanicam, denominatus anno 1721, venit Claudiopolim 14-a Junii, mortuus Cibinii anno 1722.

Vivit adhuc Excellmus Dnus Lotharius Josephus S. Rom. Imperii Comes Koenigszeg, extraordinarius in Hispaniis legatus.

Commendat modo Transylvaniam Excellmus Dnus Carolus S. Rom. Imperii Comes de Tige, omni laude dignissimus. (Mortuus anno 1729, die 14-a Septembris apoplexia tactus in Felvincz, dum Claudiopolim ad Congregationem Gubernialem tenderet). Reliquos Generales Commendantes, si qui fuerint tempore meo, vide inferius in serie annorum.

Palatini Hungariae: Celsissimus S. Rom. Imperii Princeps Paulus Eszterházi, anno 1713. Vivit

modo Excellmus Dnus Nicolaus Comes Pálffi ab Erdöd (moritur 1732. Serenissimus dux Lotharingiae Franciscus fit Locumtenens Regius loco dignitatis Palatinalis. Excellmus Comes Joannes Pálffi).

Judices Curiae Regiae in Hungaria: Adamus Comes Forgách, mortuus anno 1681; Nicolaus C. Draskovics, obiit anno 1687; Stephanus C. Csáki, mortuus anno 1700; Adamus C. Battyáni, ex Bano Croatiae; Georgius C. Erdödi, obiit anno 1712. Vivit modo Excellmus Dnus Comes Stephanus Kohári de Csábrág. (Succedit Excellmus C. Joannes Pálffi ab Erdöd, Josephus C. Eszterházy de Galantha).

Bani Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae: Nicolaus Comes Erdödi, dictus Comes Adamus Battyáni, Alexander Comes Erdödi. Vivit modo Excellmus Dnus Joannes Comes Pálffi ab Erdöd (succedit Comes Joannes Draskovics. Josephus Comes Eszterházy de Galantha).

Gubernatores Transylvaniae: Excellmus Dnus Comes Georgius Bánffi de Losoncz. Vivit modo Excellmus Dnus Sigismundus Kornis de Göncz-Ruszka (moritur anno 1731, die 15-a Decembris. Excellmus Dnus Comes Johannes Haller, quondam gener meus, anno 1734 constituitur).

Generales Ungari Transylvaniae: Paulus Béldi, Michael Teleki, Gregorius Bethlen, Comes Ladislaus Gyulaffi, Comes Stephanus Apor. Expost nullus.

Cancellarii Transylvaniae: Joannes Bethlen, Wolfgangus Bethlen, Comes Nicolaus Bethlen, Comes Samuel Kálnoki, Comes Sigismundus Kornis, Baro Joannes Bornemisza de Kászon, C. Ladislaus Gyulaffi de Rátóth.

Thesaurarii Transylvaniae: B. Joannes Haller,

C. Stephanus Apor, C. Samuel Kálnoki. Expost nullus. (B. Joannes Toroczka 1743.)

Praesidentes Regni: Sigismundus Bánffi, Sigismundus Mikola, Clemens Mikes, Ladislaus Székely de Boros-Jenő, Alexius Bethlen, Samuel Keresztesi, B. Stephanus Haller, B. Stephanus Vesselényi, B. Joannes Josephus Bornemisza de Kászón, C. Adamus de Bethlen ¹⁾.

Protonotarii: Clemens Mikes, Martinus Sárpataki, Lazarus Apor, Joannes Sárosi, Petrus Alvinczi, Franciscus Henter, Michael Simonffi, B. Andreas Sz. Kereszti, Michael Olosz, Gregorius Sándor, Sigismundus Kun, Dávid Henter, Josephus Inczédi, (C. Adamus Nemes, Antonius Domokos, L. B. Nicolaus Endes).

Directores Fiscales: Petrus Barabás, Andreas Hegyesi, Stephanus Polus, Michael Simonffi, Gregorius Süketfalvi, Gregorius Gálfalvi, Blasius Szabó Literáti. Emericus Csulai, Petrus Dobra, Nicolaus Endes, Joannes Tolnai, Joannes Gál, factus Consiliarius, vice-director Michael Medve, Tabulae restitutus, Antonius Biró.

Archi-Episcopi Strigonienses: Georgius Comes Lippai. Georgius Szelepcsény, mortuus anno 1680. Georgius Szécseni, mortuus anno 1695. Leopoldus Comes Kollonics, Praesbyter Cardinalis S. Rom. Ecclesiae. Serenissimus dux Saxoniae neo-conversus, S. Rom. Ecclesiae Presbyter Cardinalis Christianus, obiit 1726. Vivit modo Celsissimus S. Rom. Imperii Princeps Emericus Eszterházy, Ordinis S. Pauli Primi Eremitae.

¹⁾ Újabb példányban: moritur anno 1725, 26-a Aug. Cibinii. C. Joannes Lázár de Gyalakuta, proditor patriae.

Archi-Episcopi Colocenses : dictus Georgius Szécseni, dictus Leopoldus Cardinalis Kollonics. Paulus Szécseni, Ordinis S. Pauli primi Eremitae. Vivit modo Eminentissimus S. Rom. Ecclesiae Praebyter Cardinalis Emericus C. Csáki (moritur 1732. succedit Gabriel Patatich).

Episcopi Transylvaniae: Matthaeus Sz.-Tamási, mortuus anno 1680. Andreas Sebestyén, mortuus anno 1686. Stephanus Kada, mortuus anno 1695. Andreas Illyés, defecit anno 1708. Georgius Mártonfi, obiit anno 1721. Joannes Antalffi, obiit anno 1728. Gregorius Sorger (obiit anno 1739 die 16-a Septembris. Baro Franciscus Klobusiczky, anno 1741.)

Vicarii Generales Transylvaniae: Casimirus Domokos, consecratus episcopus, Ord. S. Francisci strictioris observantiae. Bartholomaeus Szebelébi, vir suavis, omnibus acceptus, obiit anno 1707. Joannes Antalffi, postea episcopus, ut supra. Vivunt modo: Rndiss. Dnus Martinus Demeter, Cathedralis Ecclesiae Carolinensis Praepositus, Rndiss. Dnus Stephanus Léthay, actualis Vicarius et dictae ecclesiae Lector (moritur anno 1738, succedit Joannes Kastal).

Ex Capitulo Carolinensi: Franciscus Bors, Casparus Henter. Modo vero sunt in Capitulo: Rndiss. Dnus Martinus Demeter, Praepositus major. Rndiss. Dnus Stephanus Léthai, Lector et Vicarius. Rndiss. Dnus Paulus Nagy, Cantor. Rndiss. Dnus Andreas Lukács, Custos (mortuus est 1729 die 29-a Septembris, successit Stephanus Kastal. Joannes Theodorus Ponczin, germanus 1733. Novus et quintus Stephanus Torma de Csicsó-Keresztúr, 1737).

Atlantes fidei sive defensores catholicae verita-

tis, Superiores et Rectores Soc. Jesu Claudiopolitani, eo nomine, quo in Transylvania vocabantur : Pater Michael Fenesi. obiit in peste 1678. P. Paulus Adamovics, obiit anno 1690. P. Sigismundus Vizkeleti, obiit Sopronii anno 1718. P. Gabriel Kapi, obiit Tyrnaviae anno 1728. P. Andreas Horváth, obiit Tyrnaviae. P. Stephanus Kast, obiit Claudiopoli.

Vivunt vero adhuc : P. Emericus Kőrmöndi (mortuus anno 1732). P. Joannes Rajcsáni, P. Emericus Görgei, P. Andreas Sigrái. — Regit vero modo P. Adamus Fitter (Anno 1729 succedit P. Franciscus Csernovics. Anno 1732 succedit P. Georgius Rajcsáni, mortuus 1734. Anno 1734, P. Antonius Mindszenti. P. Stephanus Dobner, anno 1736. P. Andreas Patai 1739. P. Joannes Szegedi 1742.)

Vigiles ovium Christi custodes ex ordine S. Francisci Reform. : Pater Joannes Kájoni, P. Antonius Kvacsánszki, P. Petrus Hozó, P. Eleazarius Ivanovics, P. Modestus Sigrái, P. Franciscus Nizet, P. Antonius Sirmer.

Vivunt modo : P. Emericus Lamprík, P. Paulus Győrffi. Custodit actu Rndiss. Alexius Csató (et postea factus primus Provincialis). Casparus Szent-Miklósi, mortuus. Vivit P. Petrus Becze. Succedit secundus Provincialis P. Paulus Győrffi, Ladislaus Bögözi, tertius Provincialis 1735. P. Joachimus Bother, factus 1742.

Plebani Alsó-Torjenses : Adm. Rnd. P. Nicolaus Köszvényesi, qui me baptisavit ; A. R. P. Nicolaus Solnai, ARP. Ludovicus Berzeviczi, Ord. S. Pauli primi Eremitae ; Rndiss. Dnus Bartholomaeus Szébelébi, Vicarius Transylvaniae generalis ; ARP

Gregorius Úlkei, A. R. P. Michael Cseh, vivit actu.
(Adm. RD. Georgius Tamási 1743).

Instructores mei ab alpha usque ad omega : Nicolaus Márton, Georgius Lőrinczfi, Torjae hi duo; Paulus Benedek, in majori Parva Claudiopoli; Stephanus Benő et Michael Szent-Királyi, in principiis, Claudiopoli; Andreas Mindszenti, in Soc. Jesu Bohus vocatus, in grammatica, syntaxi et poesi; P. Stephanus Hedervári, in Soc. Jesu Emericus Alló, in rhetorica, Claudiopoli; P. Michael Hoffman, Soc. Jesu, in cursu philosophico Tyrnaviae; P. Joannes Duboczki, Soc. Jesu in mathesi, Tyrnaviae; P. Andreas Madocsáni, Soc. Jesu, in ethica, Tyrnaviae; Praenobilis Dnus Fridericus Sometinger et Praenobilis Dnus Bernardus Stanner, in jure imperiali Tyrnaviae; Perillustris Dnus Franciscus Koller, et Praenobilis Dnus Michael Bencsik, in jure patrio Tyrnaviae.

Sequuntur Magnates, Proceres, praenobiles, nobiles Transylvaniae et aliqui Hungariae.

Placuit vero sequi superiorem stylum, et a littera cognominis describere, ut quilibet familiae suae praedecessores invenire possit; neque vero prioritatem familiarum respicio, sed prout nomina occurrunt, vel ab aliis habere potui, sic annoto.

Nota vero : ubi hae litterae erunt : M. P. NN. et N : — M. magnatem significat, P. procerem, NN. praenobilem, N. nobilem.

LITTERA COGNOMINIS

A.

A b a f f i Joannes, Gabriel, Thomas, Casparus, ab equi percussione mortuus 1732. Ladislaus 1734. N.

A j t a i Stephanus, ex Cottu Kolosiensi, Casparus, 1733. N.

A k a i Franciscus.

A l á r d Joannes, ex Sede Udvarhely, NN.

A l m á d i Andreas, Stephanus, ex Cottu Dobocensi, N.

A l s ó Joannes, Petrus, NN.

A l v i n c z i Samuel, Cancellariae Transylv. consiliarius Viennae, NN.

A n d r á s i, Stephanus, Baro.

A n g y a l o s i de Lázárfalva, Michael, Stephanus et Franciscus 1739.

A n t a l de Csik-Mádéfalva, Franciscus, N.

A n t o s de Réty, Georgius, famosissimus procurator, Ladislaus se suspendit, Mathaeus, mortuus in peste, N.

A p o r. Comes Stephanus, cujus magnus titulus superioris notatus est. — Lazarus, supr. Capitaneus Sedium Siculicalium Csik, Gyergyó et Kászón, regni protonotarius, Joannes, Wolfgangus 1739, Andreas, Franciscus, Emericus (Lazari filius) juvenis 1740, NN. — Duo Stephani et unus Sigismundus, filii Baronis Petri Apor, omnes de Al-Torja.

Á r k o s i Adamus, Supr. Judex Nob. Cottus de Küküllő.

Á r p á s i Thomas, tricesimator Tömösvariensis, N.

A t h a n a s i u s, primus unitus episcopus graeci ritus cum catholicis.

B.

B a b o s de Sepsi-Besenyő, Georgius N.

B a c z ó Michael, ex Sede Udvarhely.

B a g o t a i Emericus, supr. Judex Cottus de Küküllő et duo ejus filii.

B a g y o n i Sigismundus, ex Cottu Albensi, N.

Bakcsi Ladislaus, senior, notarius Sedis Miklősvár, Gabriel, de Nagy-Ajta, notarius Sedis Miklősvár. — Franciscus, ephebus meus. — Gabriel, senior et junior, de Albis, N. — Alexius 1732.

Bakó, Paulus, Petrus, Stephanus, ex Sede Marus, N.

Bakosi Ladislaus, caesareus colonellus, N.

Balacsányi, Generalis Valachiae, in fidelitate caesaris periit ad Zernest.

Balásfi Sigismundus, de Cottu Küküllő, N.

Balási Joannes, ex Futásfalva, tricesimator Coronensis. — Joannes, supr. postarum provincialium Magister, Josephus, Vice-Judex Reg. Sedis Siculicalis de Káson 1734. N.

Bálintith Sigismundus, ejusdem filius Sigismundus NN. — Georgius, L. B. de Tővis, consiliarius Gubernialis et Tabulae Reg. praeses, moritur 1745. M.

Balkó Paulus, vice Capitaneus Claudiopolitanus, Franciscus occisus est in praelio cum Prussis 1745. N.

Baló de Baczon, Ladislaus, vice-magister aulae Principis; Mathias, occisus a praedonibus, Thomas, vice Judex Reg; Josephus. — Andreas (de Diód), Vincentius, ebrius vixit, ebrius mortuus est.

Balogh de Radnót, Franciscus, Balthasar, NN. Joannes, ex Sede Udvarhely, Supr. Judex Nob. Cottus Albenensis. — Georgius. supr. Judex Nob. Dobocensis 1735. Ladislaus, ex Cottu Hunyadiensi, Tabulae Reg. assessor NN.

Bálpataki Joannes occisus a praedonibus N.

Bán Michael, ex Sede Marus. — Franciscus (de Galambod) N.

Bánffi Sigismundus, consiliarius principis, Dyonisius, Baro, sine justa causa decapitatus, Dyonisius junior, Comes, C. Georgius, camerarius caesareus et Cottus Dobocensis supr. Comes. — Volfgangus, Michael P. — Georgius et Christophorus de Almás, P. — Paulus (de Maros-Szent-Király). Petrus (de Losoncz) P. Ladislaus (de Berecztelke) juvenis, N.

Bánházi de Thorda, Paulus, Stephanus, N.

Barabás, Petrus (de Albis) vice director. — Georgius junior, Petrus junior (Georgii filius). — Joannes (de

Markosfalva) 1740. — **Michael**, ephebus meus in rhetorica, exposit, per virtutem, litterarum Conventualium de Kolos-Monstra conservator.

Baranyai Georgius (de **M. Jára**) Director et electus Regni protonotarius, NN. — **Sigismundus** et **Ladislaus**, ex Sede **Marus**, N.

Barcsai. **Abrahamus**, **Michael**, P. — **Nicolaus**, M. — **Paulus senior**, **Stephanus senior**, **Sigismundus**, **Acatius**, **Sigismundus**, NN. — **Thomas senior**, **Sigismundus**, **Franciscus**, **Alexander**, **Samuel junior**, ex **Cottu Hunyadiensi**, NN. — **Josephus** (de **Kál**), NN. — **Alexander** (de **Nagy-Barcsa**) 1737. — **Joannes**, baro, 1747.

Bardocz Stephanus, ex **Futásfalva**; **Stephanus**, vice-Judex Reg. Sedis **Kézdi**.

Barát Adamus, ex **Hungaria**.

Baróthi Sigismundus ex **Ungaria**, NN.

Bartha de Borosnyó, **Andreas**, N.

Batizi Andreas, ex **Cottu Albensi**, N.

Bátori Joannes, vice Comes **Cottus Kolosiensis**, N.

Beczko de Matiszfalva, **Ladislaus**.

Béldi de Uzon. **Paulus**, consiliarius et regni Generalis, mortuus in **Constantinopoli**, M. — **David**, P. **Clemens**, nonagesimarius vel ultra, mortuus 1737. **Paulus**, quondam supr, **Judex Nob. Cottus Albensis Inferioris processus superioris**, mortuus 1739.

Belényesi Sigismundus, N.

Benczel Paulus sen. et jun. ex Sede **Udvarhely**.

Benkő Michael (de **Árkos**) notarius Sedis **Sepsi**. — **Paulus**, **Joannes** (de **Zoltán**). — **Michael senior**, **Samuel**, **Michaelis filius**, decapitatus, **Petrus**, **Samuelis filius junior**, hic ex **Torja**. — **Michael**, N.

Bereczki Andreas ex Sede **Marus**, N.

Bernárd de Alsó-Csernáton, **Joannes**, NN.

Berzenczei. **Martinus**, principis **Michaelis Apaffi senioris** Supr. **Culinae Magister**. **Joannes**, vice **Judex Reg. Sedis Marus**.

Besenyei Sigismundus, senior et junior, NN.

Bethlen, **Joannes senior**, consiliarius Principis et cancellarius Regni, M. **Volfgangus**, consiliarius et cancella-

rius M. Comes Georgius, consiliarius, Generalis regni et Cottus de Kükölliö supr. Comes. C. Alexius, consiliarius et regni praesidens. C. Nicolaus, consiliarius, cancellarius et Cottus de Máramaros supr. Comes. C. Franciscus, supr. Comes Cottus Szolnok Interioris et supr. provincialis Commissarius. C. Joannes, Tabulae Reg. assessor. C. Paulus, Tabulae Reg. assessor. C. Samuel, Tabulae Reg. assessor, Cottus de Kükölliö Comes et Sedis Marus Capitaneus ubique supremus. C. Ladislaus, consiliarius Gubernii. C. Michael. Stephanus (de Iktár) P. C. Georgius, intoxicatus. C. Josephus, supr. Comes Máramarosiensis, 1742.

Bialis Franciscus senior, supr. Capitaneus arcis Somlyó et Comes supr. Cottus Kraszna. Franciscus junior, Joannes, Jacobus, Alexander (hi quatuor Francisci senioris filii) NN. — Franciscus, ex Genua oriundus, nunc in Illyefalva habitans, 1737.

Bik Ladislaus, ex Cottu Kolosiensi, N.

Biró Stephanus, famosus procurator, Stephanus alter, Josephus, Gabriel, occisus a Tartaris, Valentinus (ex Sede Udvarhely). — Michael, ex Cottu Thordensi, occisus. — Andreas, vice Judex Reg. Zetelakiensis, N. — Samuel, Reg. Gubernii consiliarius, M. Adamus Samuelis filius, Moyses, Georgius, Ladislaus, Joannes, juvenis (de Homorod-Szent-Márton).

Biroga de Gelencze, Joannes.

Bidesküti Balthasar, N.

Bocskai Stephanus (de Kövend), ex Sede Marus, N.

Bocskor Mathias, Josephus, ex Csík, 1738. Stephanus et Clemens (de Szeretszeg), N.

Bod Joannes tricesimator in Bozza, 1735.

Bodó de Csicsó, Michael, vice Judex Reg. Sedis Superioris Csík, Sigismundus, juvenis. — Gregorius, Stephanus (ex Al-Torja) N.

Bodoni Blasius, occisus in Valachia, Georgius, Sigismundus, NN.

Bodor ex Léczfalva, Michael, Antonius, 1732, N.

Bodos de Nagy-Ajta, Stephanus, N.

Boér, de Bükkös, Sigismundus, — de Bécse: Sigismundus et Samuel senior, — de Berivoj: Stephanus, — de

Terra Fogaras: Thomas et Josephus senior, — de Kucsuláta: Josephus, resolutus supr. Capitaneus Fogarasiensis, — de Nyujtód: Stephanus senior, quasi 30 annis vice-Judex Reg. 1734, — Samuel, in Jobbágyfalva habitans, quondam tricesimator Tömösváriensis, N. — de Kövesd: Emericus, juvenis, Paulus senior, Franciscus, arcis Somlyó capitaneus et Cottus Kraszna Comes utrobique supremus, Simon, arcis et districtus Terrae Fogaras capitaneus supr. Gabriel senior 1735. Paulus, Ladislaus, 1737.

Bogáta i Emericus, supr. Judex Nob. Cottus de Küküllő, et duo ejus filii, NN.

Bojt os Georgius, auri cambsor Principis senioris Apaffi, N.

Boldogfalvi Joannes, NN.

Boldvári de Sárd, Martinus, NN.

Bölöni Sigismundus Litteratus, N.

Boné Andreas, colonellus, N.

Borbély Simon, tricesimator Tömösváriensis, N.

Borbereki de Enyed, Stephanus, N.

Bornemisza de Nagy-Káson, L. B. Joannes, moritur Cibinii 1747.

Boros Georgius, senior et junior, N.

Bors de Csik-Szent-Király, Ladislaus, Lucas, Georgius, quondam vice Judex Reg. Sedis Inferioris Csik, 1737. P. Franciscus, cathedralis ecclesiae Carolinensis Canonicus et Lector, theologiam absolvit Romae, Michael, quondam vice Judex Reg. Sedis Csik Inferioris, 1740, N.

Borsai de Veresegyháza, Georgius, supr. Judex Nob. Cottus Albensis Inferioris, Stephanus, NN.

Borvai Joannes, claudiopolitanus, N.

Both Andreas, vice Judex Reg. Sedis Gyergyó, occisus a Rascianis, Michael, Adamus de Gyergyó, juvenis, hic mens erat ephebus Viennae dum uxorem duxi, N.

Botos Emericus, vice Judex Reg. Sedis Marus, Gabriel, N.

Brankovan Constantinus, princeps Valachiae, Constantinopoli Sultani mandato occisus.

Brózer, Petrus, claudiopolitanus tricesimator, N.

Buczk u Augustinus, ex Hungaria.

B u d a Andreas senior, Nicolaus, Stephanus, occisus et tractus a Nicolao Puj 1736.

B u d a i de Alsó Rákos, Franciscus, P.

C.

C h r i s t o p h Samuel, cibiniensis, perceptor Regni.

C o n r á d Samuel, Judex Reg. Medgyesiensis et consiliarius.

C s a b a i de Czofalva, Daniel, insignis procurator, 1735.

C s á k i de Keresztzeg, C. Ladislaus, Generalis, Ladislaus junior, Gabriel, Stephanus, supr. Comes Cottus Kolosiensis, Nicolaus (omnes Ladislai senioris filii), Sigismundus, Camerarius, 1735. Emericus (occisus a suis famulis) in peste 1742. — Stephanus, Andreas, occisus (de Déva) N.

C s a p i Sigismundus, ex Görgény, N.

C s a t á r i de Somlyó, Stephanus, N.

C s e h de Sz. Kátolna, Sigismundus sen., Stephanus, N.

C s e p r e g i Samuel, claudiopolitanus, N.

C s e r e i Volfgangus senior, NN. Georgius sen. et jun. mortuus in Turcia, Joannes senior, vice Capitaneus Fogarasiensis, NN, Stephanus, ex Csik, a praedonibus occisus, Sigismundus, Samuel senior et junior, Michael senior, occisus a Tartaris, Daniel, Nicolaus, de Csik-Szent-Rákos, senior et junior, N.

C s e r m é n y i Nicolaus, ex Cottu Hunyadiensi, NN

C s e r n á t o n i Stephanus, ex Cottu Kolosiensi, N.

C s ó k á s i Franciscus, circa Várad, N.

C s o l n a k o s i Valentinus, ex Cottu Hunyadiensi.

C s o m a de Gelence, Sigismundus, 1726.

C s o n k a Georgius, provisor Szamos-Ujváriensis, N.

C s o n g r á d i Franciscus; Franciscus de Koneza, N.

C s u l a i Emericus, Fiscalis director, 1733.

C s ü r é z Michael, ex Terra Fogaras, N.

C z a k ó Dávid, supr. judex Coronensis.

C z e r j é k Joannes, ex Csik; Andreas et Ladislaus de Csik-Rákos; — Ladislaus, Thomas, Franciscus, omnes tres de Zoltán; Joannes Zoltai vel Czerjék de Zoltán, 1739, N.

C z i k ó de Csik-Szent-Mindszent, Franciscus, Tabulae Reg. assessor, 1740.

C z i r j á k de Ernye, Andreas, N.

D.

Daczo, Joannes, supr. Capitaneus Sedis Csik; — **Ladislaus**, Joannes, Paulus (de Sepsi-Szent-György); **Gabriel senior et junior**, ex Cottu Albensi, NN.

Dajka Stephanus, ex Cottu Thordensi, N.

Dallyai Franciscus Litteratus, ex Sede Udvarhely, N.

Dálnoki Michael, claudiopolitanus, perceptor regni, N.

Damokos de Alsó-Csernáton, Ladislaus 1735. — **Thomas**, de Csik. NN.

Daniel de Vargyas, Stephanus, senior, supr. Judex-Reg. Sedis Udvarhely, Michael junior, periit ad Claudiopolim, Franciscus supr. Judex Reg. Sedis Udvarhely, Joannes, Laurentius, Josephus, supr. Judex Reg. Sedis Aranyas, 1727, Ludovicus juvenis, Petrus 1741, Franciscus, Tabulae Judiciariae Reg. assessor 1747. — **Daniel** de Olosztelek, Michael, supr. Judex Reg. in Háromszék; **Gabriel**, periit ad Fogaras, Petrus senior, Joannes, NN.

Danka Petrus, ex Al-Torja, 81 annorum, 1740.

Daróczi Georgius, Andreas, colonellus, occisus a Turcis, NN. — Michael, ex Fogaras, N.

Décei Valentinus, ex Cottu Thordensi, N.

Deésfalvi de Mikeszásza, Volfgangus, N.

Déli Michael, Consul Schaesburgensis, decapitatus.

Dési Joannes, exactor fiscalis, N.

Dimen Stephanus, ex Karácsonfalva, N.

Diemen Clemens, ex Sede Udvarhely, registrator Cancellariae Viennensis, N.

Dindár Ladislaus, eques Imperii, principis Valachiae secretarius, NN.

Diósi Joannes, praefectus fiscalis, NN. Ladislaus, ejusdem filius, periit sub Várad, N. **Daniel**, ex Cottu Küküllő, Georgius, conservator litterarum capitularium Carolinae, N.

Dittine Stephanus, alias Pivoda, caesareus supr. tribunus, 1780.

Dobner Joannes, annonae Commissarius, Dévae.

Dobozi Stephanus, Judex Debrecziniensis, N.

Dobra de Topánfalva, Angelus, tricesimator. N.

Dolhai Georgius, ex Cottu Máramaros, NN.

Dobolyi Valentinus, ductor Enyediensis, homo humanus, N.

Donáth, Wolfgangus, ex Csík, Stephanus senior, Ladislaus senior de Nagy-Ajta, vice Judex Reg. Sedis Miklós-vár, Georgius de Nagy-Ajta, vice Judex Reg. Sedis Miklós-vár, Ladislaus junior, mansit in conflictu ad Sárkány, Michael de NagyAjta, apoplexia tactus; Joannes de Bürkös, vice stabuli praefectus Principis; Matthias et Josephus de Nynjtód, periit ad Coronam, NN.

Dósa, Thomas, vice Judex Reg. Sedis Marus, NN. Thomas et Andreas de Kibéd, a Kuruczonibus occisus, N. Georgius ex Sede Marus, Petrus, v. Judex Reg. Sedis Marus, NN. Michael senior de Makfalva, v. Judex quondam Reg. ex Sede Marus, homo jovialis et facetus, 1729.

Drauth, Simon, Georgius, uterque supr. Judex Coronensis, Joannes, villicus Coronensis, 1733, 21-a Martii, N.

Drencsen Michael, notarius Fogarasiensis, 1735.

E.

Ecsedi Petrus, fiscalis exactor, N.

Egerházi de Bánd, Stephanus, N.

Elekes, Stephanus, Joannes ex Gyergyó, N.

Endes, Nicolaus, notarius in Csík, Georgius, de Csík, N.

Enyedi, Georgius, de Thorda, Casparus, medicinae doctor, Franciscus, ex Enyed, N.

Eperjesi, Stephanus et Michael de Szászváros, N. Franciscus, supr. Judex Nob. Cottus Albensis, NN.

Erdélyi Andreas, N.

Erdő de M. Pravith, Joannes, NN.

Eresztevényi de Eresztevény, Andreas, Stephanus, Adamus 1738. N.

F.

Fábián Stephanus, ex Cottu Albensi, N.

Fabricius Georgius, consul Schaesburgensis.

Farkas, Franciscus, supr. Judex Nob. Cottus Alben-

sis, NN. Fabianus, ex Ungaria, NN. Paulus, v. Judex Reg. Sedis Udvarhely, Gabriel, turbatus in mente, Paulus de Moha, Judex Nob. Cottus Albensis, N.

Fekete, Petrus senior, ex Cottu Kükellő, Petrus junior, supr. Judex Nob. Cottus Kükellő, Franciscus, Laurentius, NN; — Paulus de Olosztelek, N. — Stephanus, ex Alsó-Csernáton, tricesimator Coronensis, decapitatus a Rascianis; — Stephanus, ex Sede Udvarhely, occisus; — Paulus de Bardócz, junior, se ipsum trajecit.

Felvinczi, Joannes de Csapó, Sigismundus, Joannes NN; — Josephus de Felvincz, NN.; — Sigismundus senior de Harasztón, NN.

Ferenczi, Georgius, senior, ex Sede Udvarhely, v. Judex Reg. Stephanus, v. Judex Reg. Michael, N.

Ferrati Comes Bartholomaeus, Italus Neapolitanus, 1738.

Fest Samuel, Saxo Cibiniensis, Reg. Transylv. Gubernii Consiliarius, 1734.

Fiáth Joannes, ex Hunyad, Cancellariae Transylvaniae Consiliarius Viennae, NN.

Fichor Gabriel, ex Kövesd.

Flistik, Petrus NN. Michael, supr. Judex Coronensis.

Fodor de Csik-Rákos, Joannes, N.

Földvári Georgius, ex Cottu Hunyadiensi, trajectus, NN.

Folta de Kézdi-Szent-Lélek, Stephanus, insignis procurator, Josephus, filius ejusdem, Franciscus, ultimus deficiens, 1743.

Folti Valentinus, ex Cottu Hunyadiensi, NN.

Forró de Oroszfalu, Joannes, Nicolaus, ejusdem filius; — Joannes, Stephanus, uterque ex Sede Háromszék, in peste obiit, N.

Frank Valentinus, supr. Judex Cibiniensis.

Frater, ex Cottu Máramaros, Stephanus, NN. Ladislaus, Georgius N.

Frenk Stephanus, ex Cottu Kolosiensi, N.

Fűz Valentinus, ex Al-Csik, N.

G.

Gábor, Stephanus, Petrus, ex Gyergyó; Michael de Kál, N.

Gálffalvi Gregorius, famosus procurator, N.

Gálffi, Christophorus, Michael, Georgius senior, Joannes, Stephanus, decapitatus Medgyesini (hi ex Sede Udvarhely); — Paulus, claudiopolitanus, N.

Gávai Franciscus, ex Cottu Doboka, N.

Gazda Michael, de Rety, Stephani C. Apor ab aerario.

Gazdag Balthasar, de Bölön, in peste, Joannes, notarius Sedis Miklósvár, 1732, N.

Gegő Matthias, tricesimator Coronensis, N.

Gellesti Georgius de Szászváros, N.

Geréb, Joannes, senior, Josephus de Arapataka, quondam v. Judex Reg. Incl. Sedis Sepsi, 1738. — Joannes junior de Lemhény, N. — Stephanus, Joannes, de Bethlenfalva, NN. — Antonius, de Csík-Csicsó, 1741. N.

Ghidófalvi Gabriel, junior, vir aequitatis amans, 10 annis vice Judex Reg. Sedis Sepsi, qui ultimis vitae diebus, me teste, ante mortem duobus annis occulte, exposit aperte, relicto Ario, in salvifica fide Romana baptisatus et piissime obdormivit Coronae 1720. Prius quidem erat Regiae Deputationis assessor, NN. — Gabriel de Ettfalva Litteratus, senior, N.

Gilányi, Georgius, Jacobus, P.

Glávics, Comes, Italus, post multas tribulationes mortuus Fogarasini in captivitate, M.

Görög, Petrus, tricesimator Szászvárosiensis, Joannes, ex Cottu Kolosiensi, N.

Grászai Volfgangus, N.

Gronszki Nicolaus de Szemeria, N.

Gurzó Stephanus, ex Csík, in Moldavia mortuus, N.

Gúti, Volfgangus, NN. Stephanus, primus praedator in Sede Udvarhely, merito occisus est, N.

Gyárfás de Léczfalva, Stephanus senior, nonagesimarius senex, Stephanus junior, periit ad Cibinium, Paulus, Thomas, mente captus mortuus, N.

Gyerőfi, Georgius, consiliarius Gubernii et supr. Comes Cottus Kolosiensis, Georgius, Ladislaus et Paulus, ejusdem filii, et Georgius quidem occisus a subditis.

Győrfi Josephus, vice Com. Cottus Hunyadiensis, 1737.

Gyujtó Joannes, ex Sepsi-Martonos, insignis procurator, 1746.

Gyulaffi, Comes Ladislaus, consiliarius Gubernii, electus Transylvaniae Generalis, Cottus Kolos supr. Comes et supr. Capitanus Sedis Marus; Christophorus, Ladislai filius, M.

Gyulai, Comes Franciscus senior, Sedis Udvarhelyi supr. Judex Reg.; Franciscus, praecedentis filius, Generalis Locumtenens caesareus et unius regiminis colonellus actualis; Franciscus, Stephani filius, 1732, M. — Alexander de Kövesd, N. — Stephanus de Maxa, vel potius de Várad, Ladislaus, ejusdem filius, NN. Gregorius, supr. Judex Nob. Cottus de Kükellő, 1738. — Thomas, ex Cottu Albensi.

H.

Hadadi Michael, centurio, decapitatus a Rascianis.

Hadnagy Matthias, de Dálnok.

Haller, Baro Joannes senior, cum suis titulis superius, Paulus, consiliarius Principis et Comes supr. Cottus Küküllő, Josephus, occisus a Thököli, Stephanus, Gubernii consiliarius, Praesidens regni et supr. Comes Cottus Thorodensis; Georgius, Status et Gubernii consiliarius. — Comes Gabriel, Tabulae Reg. assessor, Ladislaus, in peste, M.

Hamar Franciscus, ex Futásfalva, tricesimator Tömösváriensis, occisus a praedonibus.

Halmágyi Michael, procurator fiscalis, 1741.

Haranglábi Sigismundus, de eadem, NN.

Harczoi Abraham, ex propugnaculo Cibiniensi ad portam Kis-Toronyiensem, circa nonam vespertinam potus cecidit, et confractus mortuus est 1738 in Febr.

Harinnai Franciscus, NN.

Harkai Michael, centurio peditum, N.

Harsányi Stephanus, principis senioris Apaffi Zeugmeister.

H a t h á z i Gregorius, claudiopolitanus, caesareus colonellus, NN.

H a v a s a l j i Ladislaus, claudiopolitanus, N.

H e g y e s i, Andreas, supr. Judex Nobilium Cottus Thordensis, Michael, ex equo cadens mortuus, N.

H e n t e r, Franciscus, protonotarius regni, Benedictus, supr. Judex Reg. Sedis Csík, Gyergyó et Kászón, Michael senior, v. Capitaneus Háromszékiensis, Casparus, Michaelis filius, canonicus et lector Capituli Carolinensis, Michael junior, ejusdem Michaelis filius, Stephanus, ejusdem filius, Clemens, v. Judex Reg. Sedis Sepsi, ejusdem filius, Gabriel, Wolfgangus, Adamus de Csík-Szent-Imreh, occisus a propriis subditis, Andreas, Sigismundus, Paulus, centurio in regimine Gynlaiano, Nicolaus, Petrus, Wolfgangus (hi tres de Nagy-Ajta), Gabriel alter, Wolfgangus alter (ex Cottu Colosiensi, N.), Alexander de Sepsi-Szent-Ivány, toxico mortuus, Stephanus, Josephi filius, juvenis, Joannes, quondam Judex Reg. Sedis Sepsi, 1740. Alexius, Gubernii Secretarius, 1742. NN.

H e r m á n y Martinus, famosus medicinae doctor Coronae.

H é t f a l u s i Joannes, tricesimator Bereczkiensis, N.

H í d i Alexander, ex Cottu Szolnok Interiorem, N.

H o c h m á r Joannes, mortuus in Diód annorum 85.

H o l l a k i Joannes, auri campsor.

H o r t i Stephanus, Superintendens calvinianus, Stephanus junior, ex Cottu Máramaros, N.

H o r v á t h Petrichevich, Cosmas, Franciscus, Nicolaus, omnes tres Tabulae Reg. assessores NN.; — de Ucsa: Andreas, Franciscus senior et junior NN.; — Franciscus junior, de Széplak, NN.; — Sigismundus de Sákod; — Paulus de Telek 1739; — Franciscus, colonellus, sub Tömösvár periit a Turcis, Georgius, ex Csík, Martinus, judex claudiopolitanus et litterarum Conventualium de Kolos-Monostra conservator, Nicolaus, juratus notarius Cottus de Küköllő, N.

H o z m a n Joannes, consul Cibiniensis, N.

H u s z á r, de Nagy-Ajta, Jeremias, procurator, Geor-

gius, ex Csík N.; — Petrus junior ex Cottu Thordensi, NN.; — Michael, claudiopolitanus, N.

J.

Jabroczki, Adamus, occisus a subditis, N. Gabriel de Vicze, senior, regalista.

Jakabos Stephanus, ex Nyujtód, 1737.

Jankó de Zágon: Petrus, Michael, ejusdem filius, Alexius, ejusdem filius, noctis sub silentio ab adultero propriae uxoris occisus, Balthasar, Thomas occisus a Kuruczonibus, NN.; — Ladislaus de Maxa, turbatus in mente, NN.

Jánosi de Buzaháza, Balthasar, N.

Jármí Georgius senior, ex Cottu Kükellő.

Jeddi Petrus, ex Sede Udvarhely, N.

Iekelius Georgius, supr. Judex Coronensis.

Jenei Andreas, ductor Enyediensis.

Illyei Ladislaus, fiscalis exactor.

Imecs de Imecsfalva, Thomas senior et junior, juvenis, Matthias, in peste mortuus, NN. Moyses, quondam vice judex Sedis Orbai.

Imreh Ladislaus, ez Málnás, occisus 1740.

Incze de Delne, Andreas, Joannes, ejusdem filius, N.

Inczédi, Paulus, Tabulae Reg. assessor, Petrus senior, Michael, Georgius, Sigismundus, NN. Stephanus, ex Hungaria, N. Paulus, ut fama fert, intoxicatus, Ladislaus, periit in castris, 1745.

Jóó Michael, registrator Gubernii.

Jobbágy Benedictus, ex Sede Marus, N.

Jósika de Branyicska: Stephanus senior, B. Gabriel, supr. provincialis Commissarius, Samuel, Emericus, caesareus colonellus supr. et supr. Comes Cottus Thordensis, Stephanus, 1731, Sigismundus, supr. Comes Cottus Hunyadiensis, 1733 die 19-a Mart. Daniel junior 1734, senior 1742, M.; — Wolfgangus, ex Cottu Hunyadiensis, N.

Jövedécsi Andreas, arianus plebanus, sed vivunt filii omnes catholici, vel maxime Pater Paulus Jövedécsi, velut modo Kolosvárini Societatis Jesu, tot animarum salus.

K.

Kabos, Ladislaus, Michael, Gabriel, ex Cottu Kolosiensi, NN.

Kakas, Joannes, Petrus, ex Háromszék, N.

Kakucsi Franciscus, cum parente.

Kálnoki, Comes Samuel, cum suis titulis superius notatus, Comes Adamus, cujus titulus superius, Comes Dominicus, mortuus 1732; — Volfgangus, Tabulae Reg. assessor, Josephus, Volgangi filius, Michael senior; — fratres germani: Valentinus, Petrus, Thomas, Michael, NN.

Kapi, Baro Georgius, mortuus Dévæ in captivitate.

Kápolnási Paulus, N.

Kaposi Daniel, N.

Kapronczai Georgius, ex Carolina. N.

Karakai ex Esztelnek, Michael, N.

Károlyi, Stephanus, de Décs, tricesimator, N.; — Baro Stephanus, occisus a subditis.

Kastal Georgius, ex Gyergyó.

Kaszás Paulus, kurucz capitaneus, N.

Kászoni Joannes, ex Carolina, parens Illrimi Dni Joannis Bornemisza de Káson; Emericus Litteratus, v. Ju. Reg. Sedis de Káson.

Katona Paulus, ex Csik, N.

Keczelei Andreas, Michael, ex Cottu Kolosiensi, Stephanus, quondam supr. Judex Nob. Cottus Kolosiensis, 1730.

Kelemen de Csik-Szent-György, Joannes, privignus Comitis Stephani Apor.

Kemény, Baro, Joannes senior, Tabulae Reg. assessor, Joannes, ejusdem filius, Simeon senior et junior, mitis genii, Joannes junior, Sigismundus, Tabulae Reg. assessor, 1734, Ladislaus, consiliarius Gubernii, 1734, Samuel, supr. Comes Cottus Dobocensis, 1744; — Simeon senior, Simeon, Balthasar senior, Balthasar 1732, M.: — Alexander, Petrus, P.: — de Bükkös: Joannes, Balthasar, P.

Kende, Gabriel, Martinus, ex Hungaria, NN.

Kendeffi, Paulus, Casparus, Gabriel senior, NN.
Joannes, P.

Kendi Joannes, protonotarius, NN.

Kénosi de Városfalva, Sigismundus, Franciscus senior, N. — Franciscus, ex Sede Udvarhely, NN.

Kerekes Sigismundus, 1734.

Keresztes de Sárpatak, Comes Martinus, supr.
 Comes Cottus Kükölli, Comes Josephus, Comitis Martini filius, M.

Keresztesi, Samuel, Gubernii consiliarius, et Cottus Albensis Superioris Comes, M. Paulus, P. Franciscus de Nagy-Megyer, junior, P.

Keresztúri, Joannes, supr. Judex Reg. Sedis Marus, 1743. NN. Stephanus, ex Sede Marus, Nicolaus, supr. Judex Reg. inclytæ Sedis Marus, NN.; Michael, ex Sede Marus, NN.

Keserű, Gregorius, Petrus, Stephanus, Paulus, omnes de Úzon, N.

Keszei Joannes, Michaelis principis Apaffi junioris praeceptor, N.

Kis de Papolcz, Balthasar, trajectus, Volfgangus, vice Judex Reg. Sedis Orbai; — Gabriel de Karathna, 1739, Franciscus, Gabrielis filius, juvenis, 1739 1-a Junii, N.

Kisfaludi, Michael Litteratus, Franciscus de Peselnek, senior, Josephus, Francisci senioris filius, N.

Kis Pál de Úzon, Georgius, 1735.

Klein Joannes, supr. Judex Bistriciensis.

Klobusiczki Andreas, NN.

Köblös Joannes, ductor Enyediensis, N.

Köbölkúti Andreas.

Koczán Martinus senior et junior, Joannes, ex Sede Marus, N.

Köleséri de Keres-Ér, Samuel, Gubernialis consiliarius.

Kolosvári, Stephanus, superintendens calvinianus, Samuel ex Carolina.

Komáromi, Joannes, mortuus in Turcia, Joannes, kurucz centurio, N.

Koncz, Josephus, Gabriel senior, junior de Lőrinczréve, NN.; — Balthasar, claudiopolitanus, N.; — Balthasar, Superintendens arianus, N.

Könczei Franciscus senior, de Volál; — Gabriel de Lemhény; — Franciscus, Samuel, Michael senior et junior, Andreas, Franciscus, juvenis 1741, Josephus 1742, omnes hi de Karathna, N.

Kopacz Joannes, ex Cottu Hunyadiensi, NN.

Köpeczi Michael, famosus medicus principis senioris Apaffi, qui et me anno 1690 ex gravi infirmitate sanavit.

Korda de Boros-Jenő, Sigismundus senior, privignus Comitis Stephani Apor, Sedis Udvarhely supr. Judex Reg., Ladislaus, Sigismundus junior, 1735. NN.

Korlatovith Georgius, NN.

Kornis, Baro Casparus, Sedis Marus supr. Comes, M. Comes Stephanus, consiliarius Gubernii, 1741; — Michael de Borbánd, N.; — Petrus, tricesimator claudiopolitanus, N.

Körösi, Georgius, de Maros-Vásárhely, N. Michael, claudiopolitanus, procurator.

Kos Michael, kurucz colonellus, NN.

Kovács, Sigismundus senior et junior, Franciscus de Keresztúr; — Stephanus de Bánd; — Petrus ex Saárd; — Stephanus ex Illye, ex Cottu Thordensi; — Balthasar, ex Sede Udvarhely, N.

Kovási Petrus, claudiopolitanus, N.

Kövérf Franciscus de Peselnek, N.

Kozma de Kezdi-Szent-Lélek, Clemens, fiscalis generalis perceptor, N. — Simeon, de Felső-Torja, cum suo filio Simeone, N.

Kubuni Ladislaus, Carolinensis, famosus facetus.

Kún de Osdola, Stephanus senior, junior, periit ad Zernest, Nicolaus, Nicolaus, mortuus in Al-Gyógy, P.; — Ladislaus, Michael, ex Sede Marus, NN.; — Daniel de Csapó vel Disznójó, NN., Daniel, Sigismundi protonotarii filius; — Ladislaus junior, occisus a Rascianis in Enyed; Stephanus cum filio Ladislao, Matthias, de Kál, 1733, N.

Kurtány Stephanus, N.

L.

Lajos, Joannes, de Sepsi-Szent-Ivány, Stephanus de Szacsva, N.

László, Blasius de Hatolyka; — Ladislaus, Joannes de Czofalva, vir facetus, anno aetatis suae 15 factus Calvinii assecla, anno tamen aetatis suae centesimo rediit ad fidem salvificam Romanam, et in illa pie obdormivit; — Stephanus, Joannes, notarius, ex Gyergyó; — Joannes, Petrus de Zágon, juvenis, occisus a militibus 1741; — Andreas de Ikafalva, senior, mortuus 1739.

Lázár, Stephanus, supr. Judex Reg. Sedium Siculicium Csik, utriusque Gyergyó et Kászón, innocenter Dévae in captivitate moritur, M. Emericus, Tabulae Reg. assessor, P.; Georgius, supr. Judex Reg. Sedis Marus, P.; Comes Ladislaus de Szárhegy, 1732; C. Franciscus senior, Judex supr. Reg. Sedis Csik, 1742; C. Franciscus juvenis; — Balthasar, Franciscus de Al-Torja, vice Judex Reg. N.; Stephanus, ex Dálnok, 1746.

Léczfalvi de Bonyha, Franciscus, mente captus, N.

Lészai Stephanus, notarius Fogarasiensis, N.

Lévai Michael, centurio peditum, N.; Gabriel, ex Sede Udvarhely, occisus a kuruczonibus, N.

Lipcsei Georgius, fiscalis inspector salis, N.

